ENARRATIO EPISTOLARVM PAVLI AD TITVM ET PHILEMONEM.

Prælecta Anno 1552.

A

D. GEORGIO MAIORE.

VVITEBERGÆ.
EX OFFICINA Iohannis Lufft.
Cum Privilegio.
1552.

ILLVSTRIS-SIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IVLIO Principi Brunſchuuicenſi & Lunebur-genſi &c.

In Chriſto Saluatore ſalutem & uitam æternam precatur,

Georgius Maior Theologiæ Doctor & Profeſſor.

CErtum eſt, initio conditum eſſe genus humanum, quia Deus immenſa bonitate, uoluit habere creaturas rationales, quibus ſuam ſapientiam & iuſtitiam in omni æternita-

te communicaret, & qui in æterna lætitia eius conſpectu fruerentur, et poſtea receptum eſt propter Mediatorem, & reſtitutum, ne hæc excellens natura, ad ipſius imaginem condita, in æternis pœnis maneret.

Voluit igitur rurſus tolli peccatum & mortem, diaboli opera, & reſtitui nobis iuſtitiam & uitam æternam. Quare remiſsio peccatorum non datur, ut in peccatis & in morte maneamus, non ideo Filius Dei crucifixus eſt, & ſummos dolores paſſus eſt, ut nos omnibus cupiditatibus frenos laxemus, ſed ita remittit peccata, ut ſimul in nobis inchoet iuſtitiam & uitam.

Certiſ-

Certissimum est igitur in illa consolatione, quando cor in agnitione iræ Dei, & in pauoribus, audita et cogitata Euangelij uoce, erigitur fiducia filij Dei, simul in tale cor effundi Spiritum sanctū ab æterno Patre et Filio, & accendi illam fiduciam, quæ accipit remissionem propter Mediatorem, & retrahit perterrefactum ex inferis, sicut Paulus inquit: Iustificati fide pacem habemus.

Ac ut res fiat magis perspicua, non hic ociosos & securos Hypocritas intueamur, sed ipsum Adam ac tristissimam accusationem, quæ cum uoce Dei fiat, non erat sommiculosa concio, aut Dauidem,

cum uoce Nathan obiurgatur, aut Latronem captum, qui scit, se iam ad supplicium ducí.

Hi cum sint in summis pauoribus, cum audiunt uocem Euangelij de Remissione peccatorum, & paulatim eam fide amplectuntur, & sentiunt se diuina potentia ex inferis retrahi, tunc uere donantur Spiritu sancto, qui in eis fidem, inuocationem Dei, spem, patientiam, & alias uirtutes excitat, & magis magisq; confirmat.

Affirmat igitur Paulus, accipi Spiritum sanctum fide. Galat. 3. Vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem.

dem. Item, Vt promissio ex fide Iesu Christi detur credentibus.

Hanc doctrinam in Ecclesia extare necesse est, ut hoc mirandum beneficium Dei agnoscamus, quod sese in nos effundit ipse, & hoc modo nos diuinæ naturæ participes facit, & ut sciamus Ecclesiam æternam, quæ ex genere humano colligitur, discernendam esse à reliquis hominibus, & regi ac sanctificari per Spiritum sanctum. Item, Vt sciamus, quando et quomodo detur Spiritus sanctus, scilicet, in illa uera inuocatione, cum fide corda eriguntur, ut cum fide, Adam aut Dauid,

erectus est, aut cum latro alius quis, qui ad supplicium ducitur, sensit, sibi cogitanti uocem Euangelij de Remissione peccatorum, leniri dolores, & fide accedit ad Mediatorem, inuocat Deum, petit & expectat uitam æternam.

Hæc nota esse multis in Ecclesia oportet. De talibus motibus loquuntur hi, quibus nota sunt exercitia pœnitentiæ, ut Esaiæ 38. Primum de terroribus dicitur: Sicut leo contriuit omnia ossa mea. Deinde de consolatione. Tu autem eruisti animam meam, ut non perirem, Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea, uiuens confitebor tibi.

Ac

Ac utile est hos præcipuos motus considerare, quia summa doctrinæ in Ecclesia magis intelligitur, cum hos motus conuersionis, qui sunt & principales, & sensu percipi possunt, non ignoramus. Et hinc apparet, uocem diuinam non esse ociosam speculationem, sed aut mortis, aut uitæ ministerium esse, Et quoties fit mentio mortificationis & regenerationis seu uiuificationis, sciamus hos motus comprehendi.

Mortificatio, est uere expauescere agnitione iræ Dei aduersus peccata.

Regeneratio autem seu uiuificatio, est in illis ipsis pa-

uoribus & doloribus fide, id est, fiducia Filij Dei accipere Remissionem peccatorum, quod cum fit, Spiritus sanctus est efficax, & accendit simul alias uirtutes, inuocationem, spem, lætitiam in Deo, & incipit regenerare, id est, mutare corda, & subijcere Deo, sicut non solum in scriptis Apostolorum, sed etiam in concionibus Prophetarum dicitur, Vt Zach. 12. Effundam super domum Dauid, & habitatores Ierusalem Spiritum Gratiæ & precum. Etsi autem hi, qui ignorant Euangelium, non intelligunt has dulcissimas appellationes, cur nominet Spiritum sanctum, Spiritum gratiæ & precum, tamen

nos

nos & considerare & intelligere decet.

Complectitur hæc concio ministerium Euangelij & donationem Spiritus sancti, quia non datur Spiritus sanctus sine uoce Euangelij, sine qua nihil sciretur de gratia, id est, de Remissione peccatorum & reconciliatione. Ac notæ sunt sententiæ, Euangelium est ministerium Spiritus. Item, Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

PRIMVM igitur Spiritus sanctus conseruat ministerium Euangelij, & in eo annunciat gratiam, & ostendit ueram agnitionem & inuocationem Dei.

Deinde

Deinde, Effunditur in corda, & audita uoce Euangelij accendit fidem, ut statuas te esse in gratia, Remitti tibi peccata, & te reputari iustum propter Mediatorem gratis, non propter ullam tuam dignitatem, cumq; Spiritu gratiæ iam cor uiuificatur, & cepit agnoscere misericordiam & præsentiam Dei, inuocat eum, petit & expectat ab eo salutem & auxilium, & se subijcit Deo.

Hæc omnia complectitur inuocatio, scilicet, uerum Agnitionem misericordiæ Dei, promissæ propter Filium, petitionem salutis & auxilij, spem & dilectionem, quæ iam

iam recepti à Deo, nos ipsi reuerenter subijcimus.

Deinde in his, qui recepti sunt in gratiam, tolluntur peccatum & mors æterna, & hoc modo per Spiritum gratiæ & inuocationis, inchoantur iustitia & uita æterna.

Ita breuibus dictis, Prophetæ compræhenderunt doctrinam de Regeneratione, & de donis noui testamenti, Et prorsus idem docent, quod postea Filius Dei & Apostoli docuerunt, & quod nos de fontibus Israel haurientes hoc tempore docemus.

Quantum uere bonum, Bone Deus est, tenere & firma fide

mâ fide retinere hanc doctri-
nam, per Filium, qui est in si-
nu patris, immensa bonitate
Dei patefactam, scire & tene-
re, quomodo libereris à pec-
cato & morte æterna, & per ac
propter quem tibi iustitia &
uita æterna certo restituatur?
Et quantum peccatum est hoc
mysterium absconditum à se-
culis, immensa bonitate Dei,
per Filium patefactum asper-
nari, non uelle cognoscere, ri-
dere, aut persequi, aut pluris
facere huius uitæ commoda,
& siliquas, quam hæc cœlestia
& æterna bona?

Ac profecto nulli præcla-
rius de toto genere humano
merentur, siue Reges, Princi-
pes,

pes, aut quicunq; alij sint, quàm qui hanc cœlestem doctrinam ad omnem posteritatem, conseruare ac propagare studeant, & ideo constituit & conseruat imperia & regna Deus, ut Ecclesia habeat hospitium, quæ ipsius uocem sonet, & in qua agnoscatur, inuocetur & celebretur.

Prima igitur cura omnium Regum ac Principum esse debet, ueræ doctrinæ conseruatio & propagatio. Vt autem uera à falsis discernere possint, necesse est Reges & Principes ipsos cognitione ueræ doctrinæ recte esse instructos, ne cum alienis oculis uident, ab impostoribus decepti, falsa

falsa pro ueris amplectantur, & in suis Imperijs spargi patiantur, nec arbitrentur Principes, se perfunctos suo officio, si ciuium & subditorum corpora et facultates, muniuerint.

Neq; enim satis est, ut ille inquit, Imperatoriam Maiestatem armis & legibus esse armatam, sed prima ueræ Religionis, ueræ doctrinæ, ut uerus Deus agnoscatur & inuocetur, sicut dictum est, cura sit. Colliguntur, inquit, Propheta, populi in unum & regna, ut seruiant DOMINO, id est, diuinitus constituuntur & conseruantur imperia, non ut uentri, ut colligendis & augendis facultatibus

bus tantum, sed ut Regi regnantium, & DOMINO dominantium, qui solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessam, seruiant.

Regnauit, inquit Propheta, alibi, Deus super gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam, principes populorum congregati sunt cum populo Dei Abraham, quoniam Deus à protectoribus terræ, uehementer eleuatus est. Quibus uerbis ostendit, præcipuum principum, & protectorum terræ, studium & conatus esse debere, ut Deus uehementer eleuetur, agnoscatur, inuocetur & celebretur.

Sic Rex & Propheta sum-

mus Dauid, liberatus iam à peccato, morte & ira Dei, promittit se gratum fore Deo: *Docebo inquit, iniquos uias tuas, ut peccatores ad te conuertantur.* Intelligit enim sui & omnium Regum ac Principum muneris esse, recte doceri & instituí de Deo, & de uijs DOMINI, ciues ac subditos, nec satis se in regni gubernatione suo officio feciſſe, cum tot hostibus uictis, iam effectum est, ut ciues fruantur pacis commodis, nisi & iniqui doceantur, quæ sint uiæ, quæ mandata, & qui ueri cultus DOMINI, nisi & peccatores ad uerum Deum conuertantur, agant pœnitentiam, & credant diuinis promiſsionibus,

quæ

quæ breuis uia, recta ad Dominum ducens, est.

HAnc uiam Illustrissime Princeps, & Domine, Domine Clementissime, primum per Prophetas, postremis autem temporibus per Filium & Apostolos, & ordine postea omnes alios, ab ea non deflectentes, Ecclesiæ ministros, monstratam, in his uero nostri seculi fecibus, humanarum traditionum, & falsorum cultuum, densis quasi niuibus obscuratam, rectam & obrutam, iam singulari bonitate Dei iterum repurgatam & patefactam, cum multis alijs pijs principibus & protectoribus terræ uestra Celsitudo

ambulans, & testimonia Domini obseruans, & in toto corde inquirens Deum, uerè beata est, ut tales beatos pronunciat Propheta, cum inquit, Beati immaculati in uia, qui ambulant in lege Domini &c. Docendi tamen sunt & alij, ut nobiscum in eadem uia gradiantur, & orandus Deus est, ut in hac uia oculo suo nos regat, ne in auia deflectamus.

Est autem inter cęteros Apostolos, ut electum & singulare organum Dei, huius uiæ præcipuus dux & monstrator PAVLVS, scriptis suis toti sacræ doctrinæ, Veteris & Noui testamenti, claram & illustrem lucem afferrens, quæ

& Pe-

& Petrus Apoſtolorum prin-
ceps magnifacit, & ſapientia
diuina ipſi ad hoc conceſſa,
ſcripta affirmat. In horum
ſcriptorum Enarratione (qua
induſtria aut Eruditione, ne-
ſcio, qua fide uero & diligen-
tia, nouit Deus) cum annos
plurimos in hanc ſenectam
uſq; uerſatus ſim, & iuditium
& cognitionem de doctrina
Eccleſiæ, præcipue ad Princi-
pes, ut Eccleſiæ nutricios, per-
tinere ſciam, Edidi ordine E-
narrationes meas in S. Pauli
Epiſtolas, dedicatas & inſcri-
ptas piis aliquot principibus,
ut de iis, ipſorum Celſitudini-
bus & omnibus piis iuditium
permitterem. Neq; enim utile
& ſalutare Eccleſiæ iudico,

ſpargi paſſim, omnium ſcri-
pta, niſi iudicium de ijs, illis
fuerit permiſſum, ad quos, ut
præcipua Eccleſiæ membra,
Principes ſcilicet, cognitio per
tinet.

Cum igitur iam in duas po
ſtremas Pauli Epiſtolas ad TI
TVM et PHILEMONEM,
Enarratio edenda eſſet, & ue-
ſtræ Celſitudinis excellens pie
tas, Eruditio, ſtudium inde-
feſſum ſapientiæ Propheticæ
& Apoſtolicæ, & acre de hac
iudicium, ac uoluntas ac bene-
uolentia ſingularis, erga Ec-
cleſiam & Academiam no-
ſtram, & erga doctrinæ genus
à multis bonis uiris prædica-
retur, ſubijcere, et hanc enarra
tionem poſtremam in Pauli E
piſtolas

pistolas iuditio omnium Principum, repurgatam Euangelij doctrinam profitentium, & in primis ac precipué hoc tempore uestræ Celsitudinis cognitioni & pietati, uolui, etsi quid hic aut alibi errati est, non solum libenter patiar me commonefieri, sed & commonefacienti gratias ago, memor meæ imbecillitatis, & dicti S. Hieronymi, Absq; uitio (quod Græce dicitur κακίᾳ) hominem posse esse aio, ἀναμάρτητον esse nego, id enim soli Deo competit. Studium et uoluntatem recte docendi mihi perpetuo fuisse, & esse, Deum & conscientiam testes, & multos alios pios ac doctos uiros, qui me docentem audierunt, aut scripta

mea pio & candido animo, non calumniandi ſtudio legerunt, me habere non dubito.

Filius Dei, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſedens ad dextram Patris, & immediatè colligens et ſeruans Eccleſiam, & pios Eccleſiæ nutricios excitans, conſeruet & augeat clementer, quod in C. V. benignè operatus eſt, & oſtendere Eccleſiæ cepit, quem toto pectore oro, ut huius anni auſpicium, curſus, & finis ipſo Rectore & Cuſtode, Eccleſiæ et toti Reipublicæ Chriſtianæ ac V. C. ſit fœlix & fauſtus, Amen. Datæ Vuitebergæ in die Circumciſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, Calendis Ianuarij, Anno eiuſdem ex uirgine nati 1565. Col-

COLLATIO DE IMPOSITIONE manuum in dedicando Sacerdote, & dedicanda uictima, Scriptum,

A

PHILIPPO MELANTHONE.

Anno 1541. Ratisbonæ quæ est Augusta Tiberia.

Mos uetus, et prima deductus origine mũdi,
Traditus & sancta relligione patrum.
Sacrificî manibus pecudis contingere frontẽ,
Hostia quæ pura est iam facienda Deo.
Norma sacerdotem similis cur dedicat ipsum.
Impositâ cur sit sanctus & ipse manu?
Testatur ritus puram esse Deoq; dicatam,
Ante aras pecudem quæ ferienda cadet.
Sic meu patum mos hic iubet esse ministrum,
Qui iam Doctoris munus obire uolet,
Non aliquo sit mens polluta errore prophano,
Vitaq; ad exemplum crimine tota uacet,

 Addictusq;

Addictusq; Deo diuina oracula tradat,
Officij metas norit & ille sui.
Lege datos fasces alijs permittat habendos,
Nec rector trepidi gestiat esse fori.
Non uulgi frenos populari deditus aurę,
Nec morum laxet uincula grata Dei.
Nolit ad affectus regum, cęcosq; furores
Flectere ceu turpis iuraq; fasq; Gnato.
Quiq; manū imponit rectoris nomine summi,
Semper ut huic curet subditus esse iubet.
Doctrinam moresq; regant cœlestia dicta,
Et noua non ausit condere iura sibi.
Heu quantam rerum molem, quæ pondera Do
Infirmis humeris ille gerenda subit? (ctor,
Seu cupidas Regum mentes frenare studebit,
Seu populū ad mores uult reuocare bonos.
Numina seu confictа dolo detrudet ab aris,
Impia Pontificum diminuetq; lucra.
Seu fictа Monachis personam detrahet, atq;
Asseret eterni dogmata uera Dei
Quas feret aerūnas furijs agitantibus hostes?
Tollere qui è medio tale Catharma uolent.
Sic etiam Doctor sincerus uictima fiet,
Assidueq; litat sanguine & ipse suo.
Ecce tenes causas, cur ritus dedicat idem,
Et pecudem & mysten qui pia sacra facit.
Ista sacerdotis Christi uerissima imago est,
Muneris huic detur gloria prima sacri.

Hic

Hic ſine labe fuit, claraq; in luce parentem
Et uidet, & uero ſemper honore colit.
Huic Deus ipſe manū impoſuit, iuſſitq; docere
Arcano æterno dogmata prompta ſinu.
Hunc preſſere manus et iuſſa ſeuera parentis,
Supplicio ut lueret crimina noſtra ſuo.
Hunc, licet inferior, comitatur cætera turba,
Officij titulum cui dedit ipſe ſui.
Vult Euangelij cuſtodes ſemper haberi,
Militiæ ſocios ſemper & eſſe ſuæ.
Cum mater uocat hos Eccleſia nomine Chriſti,
Mandat & impoſita munera ſacra manu.
Admoniti diſcant iſtius imagine ritus,
Hic ordo quantum polliceatur opus.
Vt pecus ante aras quondam ſacrata cadebat,
Toſta Deo ut fierent uiſcera ſuauis odor.
Victima ſic etiam Chriſto fit quisq; ſacerdos,
Laudibus ut fragrent terra polusq; Dei.
Talis Abel tenerum pure mactauerat agnum,
Agnus at exitio mox datus ipſe fuit.
Conſilio patrias Eſaias rexit habenas,
Et trepidis portus ciuibus ille fuit.
Depulit Aſſyrium Solymis à mœnibus hoſtē,
Victori ponens clara trophæa Deo.
Iamq; ſenex centum uitæ confecerat annos,
Cū ſerra ſciſſus uictima et ipſe fuit. (omnes
Nemo poteſt memorare omnes, ſpectabimus
Cum Deus induerit corpore quemq; nouo.

Talia

Talia sed quædam prodest exempla tenere,
Non Baptista igitur prætereundus erit.
Hic Euangelium monstrato tradidit agno,
Placatum nobis qui facit esse Deum.
Et Pharisæorum taxans deliria, ritus
Fucosos uetuit pro pietate sequi.
Iustificamq; fidem docuit Iordanis ad undam,
Et rupes Gnatum iam sonuere Dei.
Sordibus humanis Lex obscurata iacebat,
Huic etiam lucem reddidit ille suam.
Congrua descripsit ciuilis munera uitæ,
Iuraq́; militibus iudicibusq́; dedit.
Atq; fidem iußit lucere in rebus agendis,
Notior ut fieret gloria uera Dei.
Coniugij sancit legem, damnatq́; Thyesten,
Vxorem fratris qui rapere ausus erat,
Quare Baptistam crudelis adultera perdit,
Qui moriens ueluti uictima cæsa iacet.
Notitia Christi Stephanus, non sanguine Tauri
Restitui uitæ dona perennis ait:
Concio Pontifices ingrata accendit auaros,
In caput ut iacerent aspera saxa uiri.
Vtq; alios multos sileam, fit uictima Paulus,
Eoo Christi nomen ab orbe gerens.
Et dum sex lustris terraq́; mariq́; uagatur,
Ac Euangelium spargit ubiq́; Dei.
Et negat extingui mentem diuinitus ortam,
Corporis è uinclis quando soluta fugit.

Proponensq́;

Proponensq; malis pœnas, & præmia iuſtis
Arbitrio uero diſtribuenda Dei. (norem,
Iuſtitiam monſtrat, quam Chriſti propter ho-
Æternus nobis dat pater atq; probat.
Interea pugnæ, pugnisq; pericula iuncta,
Tam longo exercent tempore mille uirum.
Dum tandem ferienda dedit ſua colla Neroni,
Et iacuit tanquam uile cadauer humi.
Noſtra etiam uidit quanquam infœlicior ætas,
Qui uitæ Chriſtum præpoſuere ſuæ.
Hic ubi diuiſo Batauorum eſt inſula Rheno,
Suduaniam in ripa dure Sicamber habes.
Hæc tulit Henricũ ciuem, quem uidimus ipſi,
Florentem ſtudijs, ingenijſq; bonis.
Hic toto Chriſti ſpirabat pectore amorem,
Cui ſtuduit uera reddere uota fide.
Eximiaq; ſuos mores pietate regebat,
Virtutum exemplum poſſet ut inde capi.
Quicquid id eſt, quod de natura Græcia ſcrip-
Artibus excultus norat et ille bonis. (ſit,
Quas teneat metas dum totum perficit annũ,
Aureus obliquo phœbus in orbe means.
Longius à terra cum ſummo tardus in axe
Voluitur, arentes cur premit æſtus agros?
Cur quotics imo uelocior ibit in axe,
Et propior terræ frigida Bruma uenit?
Hæc ita contemplans autorẽ agnoſcere iußit,
Et pura grates dicere mente Deo.

Hæc

Hæc dit oſtendunt nobis illuſtria ſigna,
Æterna mundum non ſine mente regi.
Altera ſed potior fuit illi cura tenere,
Extant quæ nobis tradita uoce Dei.
Hoc Doctore iterum Bremenſi mclaruit urbi,
Vnius Chriſti munere parta ſalus.
At quia diuinos ſtatuis detraxit honores,
Exitium Monachi qualibet arte ſtruunt,
His furijs mitra ornatus dedit arma Tyrãnus,
Qui tandẽ oppreſſum non procul urbe ne-
Heu cur tã ſubitò orbata eſt Eccleſia tali cat.
Lumine, quo poſthac debuit illa frui.
O dilecte mihi ante alios Henrice, laboris
Nunc partem noſtri te tolerare uelim.
Talia præconum quamuis ſunt fata piorum,
Membra iacent ſæuis & lacerata modis.
Non periere tamen ſed habent commercia læti
Cum Chriſto, uiuis agminibuſq; patrum.
Huius, cum ſtanti tibi frons tangetur ad arã,
Te fieri ſocium noueris ipſe Chori.
Pontificemq; ſcias tibi Chriſtum imponere dex
Poſcenti uires, & dare uelle nouas. (tram,
Proh quanto à falſis myſtæ diſcrimine ueri
Diſtant, hoc etiam nos meminiſſe decet.
Nemo poteſt unquam cenſeri iurè ſacerdos,
Contra Euangelium qui fera bella gerit.
Quiq; furẽs audet noua fingere Numina, quiq;
Sacra facit nulla tradita uoce Dei.

Tales

Tales ſacrifici celebrabant Orgia Baccho,
Errans cum Thyrſis ebria turba ſuis.
Et Salij Martis tales ignota ſonabant
Carmina, cũ gererent ſcuta uetuſta manu.
Sacrificos ſimiles creat et nũc Roma prophanos.
Qui propter uentrẽ numina falſa colunt. (na
Hos fuge, & à ueris Chriſti diſcerne miniſtris,
Pure Euangelij qui pia iuſſa docent.
Deniq; uota pij faciant, ſummumq; parentem
Aßiduis precibus quod iubet ipſe rogent.
Vt populũ per quem uero celebretur honore,
Augeat & ſemper protegat atq; regat.
Fœlicesq; duces addat, doctosq; miniſtros,
Larga Euangelij meßis ut eſſe queat.
Arceat et Chriſti graſſantẽ dextra Draconẽ,
Ne ferus humanum deuoret omne genus.
Seruet opus pater æternus quod condidit, atq;
Notitiam extingui non ſinat ipſe ſui.

πλῶ.

EPISTOLA PAVLI AD TITVM.

PAVLVS Seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi, secundum Fidem electorum Dei, & agnitionem ueritatis, quæ secundum pietatem est. Subscriptio. Amplificatio.

In spe uitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur, Deus, ante tempora æterna. Rom. 16. Ephes. 1. Coloss. 1. 2. Timoth. 1. 1. Pet. 1.

Manifestauit autem temporibus suis uerbum suum, in predicatione, quæ credita est mihi, secundum præceptum saluatoris nostri Dei. Galat. 1.

TITO Germano Filio, iuxta communem fidem. Inscriptio.

A Gratia

Salutatio.

Gratia Misericordia, pax à Deo Patre & Domino Iesu Christo, saluatore nostro.

NARRATIO.

Præcepta Ecclesiastica.

HVius rei gratia reliqui te in Creta ut quæ desunt, corrigas, & constituas per ciuitates præsbyteros, sicut & ego dispositui tibi.

1. Tim. 3 Quales Episcopi sint constituendi.

Si quis sine crimine est, unius Vxoris uir, Filios habens fideles, non in accusatione luxus, aut non subditos.

Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non uinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum.

Sed hospitalem, benignum, sobri-

sobrium, iustum, sanctum, continentem.

Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit, & exhortari in doctrina sana, & eos qui contra dicunt arguere.

Antithesis pernersorum Episcoporum.

Sunt enim multi etiam inobedientes, uaniloqui, & seductores, maximè qui de circumcisione sunt.

Quibus oportet obturari os qui uniuersas domos subuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.

Testimonium Epimenidis contra suos ciues.

Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum Propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, uentres pigri.

Testimonium hoc uerum est, quam ob causam increpa illos durè, ut sani sint in fide.

2. Timot. 2. Non intendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum, auersantium ueritatem.

Rom. 14. Obiurgatio Pseudodoctorum. Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, Sed inquinatę sunt eorum & mens & conscientia.

Confitentur se nosse Deum, operibus autem negant, cum sint abominabiles, & dicto non audientes, & ad omne opus bonum reprobi.

CAPVT

CAPVT SE-
CVNDVM.

TV autem loquere quæ decent ſanam doctrinam. Præcepta œconomica.

Senes, ut ſobrij ſint, pudici, prudentes, ſani in fide, in dilectione, in patientia. Senes.

Anus ſimiliter in habitu ſancto, non criminatrices, non multo uino ſeruientes, bene docentes. Anus.

Vt prudentiam doceant adoleſcentulas, ut uiros ſuos ament, liberos ſuos diligant. Adoleſcentulæ.

Prudentes, caſtas, domus curam habentes, benignas, ſubditas uiris ſuis, ut non blaſphemetur uerbum Dei. Epheſ.

Iuuenes. Iuuenes similiter hortare, ut sobrij sint.

Episcopus sit τύπος. In omnibus te ipsum praebe exemplum bonorum operum in doctrina, integritatem, grauitatem, incorruptionem.

Verbum sanum irreprehensibile, ut is qui ex aduerso est, uereatur, nihil habens malum dicere de uobis.

Serui. Ephes. 6. Coloss. 3. 1. Pet. 2. Seruos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes.

Non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes, ut doctrinam saluatoris nostri Dei ornent in omnibus.

Appa-

Apparuit enim gratia Dei salutifera omnibus hominibus: Ratio cur bona opera sint facienda.

Erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſobrie, & iuſtè & piè viuamus in hoc ſeculo. 2. Cor. 4. Coloſ. 3.

Expectantes beatam ſpem & aduentum gloriæ magni Dei, & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti.

Qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum peculiarem, ſectatorem bonorum operum.

Hæc loquere & exhortare & argue cum omni imperio, nemo te contemnat.

CAPVT TERTIVM.

Præcepta politica. Rom. 13.

ADmone illos principibus & potestatibus, subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse.

Neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem erga omnes homines.

1. Cor. 6 Ratio cur exhibenda sit mansuetudo erga omnes homines.

Eramus enim aliquando & nos insipientes, increduli, errantes, seruientes desideriis & uoluptatibus uariis, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem.

Quum autem benignitas

& humanitas apparuit saluatoris nostri Dei.

Secunda ratio, est reuelatio Euangelij.

Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti.

Quem effudit in nos abundè per Iesum Christum saluatorem nostrum.

Vt iustificati gratia ipsius, hęredes simus, secundum spem uitæ æternæ.

Fidelis sermo est, & de his uolo te confirmare, ut curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo, hæc sunt bona & utilia hominibus.

Stultas autem quæstiones et genealogias & contentiones, 2. Tim. 2 & 2. Tim. 2.

& pugnas legis deuita: Sunt enim inutiles & uanæ.

Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem deuita.

Sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.

Quum misero ad te Artemam aut Tychicum, festina ad me uenire Nicopolim, ibi enim statui hyemare.

Zenam legis peritum, & Apollo solicitè præmitte, ut nihil illis desit.

Discant autem & nostri bonis operibus præesse, ad usus necessarios, ut non sint infructuosi.

Salu-

Salutant te qui mecum sunt omnes, saluta eos qui nos amant, In fide, gratia Dei cum omnibus uobis, Amen.

Scripta ex Nicopoli Macedoniæ.

ENARRATIO EPISTOLÆ PAVLI AD TITVM.

DE TITO.

Itum & Timotheum, præ omnibus alijs discipulis fuisse carissimos Paulo, & quibus in Euangelij propagatione plurimum usus est, testantur ipsius Epistolæ. Hic in exordio uocat Titum γνήσιον τέκνον genuinum seu germanum Filium, 2. Cor. 2 uocat Fratrem suum, & magnam huius Titi fuisse autoritatem apud Corinthios & in tota Achaia patet hinc, quod collectio Eleemosynarum, quæ mittenda erat in Iudæam & Hierosolymam, in ijs

in ijs locis commissa fuit à Paulo Tito. Constituit autem eum Episcopum totius Cretæ, & dedit mandatum, ut & alios Episcopos passim in urbibus Titus Ecclesijs præficeret. Scribitur uero in Creta mortuus esse Titus, anno ætatis 94. Fuit autem Græcus non circumcisus.

Cap. 2.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.

BReuis est hæc Epistola, sed admodum concinno ordine scripta. Complexus enim est Paulus tres hominum status diuinitus institutos.

Primum Ecclesiasticum, secundum Oeconomicum, tertium Politicum, ac breuiter hic singulis tribus statibus præcepta uite tradit.

1. Ecclesiastica præcepta.

IN PRIMO CAPITE, tradit præcepta ad Ecclesiam pertinentia, & quia grex non potest esse sine pastore, initio precipit Tito, ut oppidatim constituat præsbyteros seu Episcopos, qui Ecclesias uerbo Dei pascant, & greges omnium aduersus lupos rapaces tueantur & defendant, quale præceptum & Actorum 20. Mileti præsbyteris ex Epheso conuocatis, tradit, cum inquit. Attendite uobis &

bis et cuncto gregi, in quo uos Spiritus sanctus posuit Episcopos ad regendum Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ego enim noui hoc, quod ingressuri sint post discessum meum, lupi graues in uos, non parcentes gregi &c.

Boni Episcopi.

Postea, quia in Ecclesia præcipua persona & eius gubernator Episcopus seu Pastor est, ostendit, quales Episcopos esse deceat, & quales eligi uelit, nempe si quis est inculpatus, unius Vxoris uir &c. Qualis descriptio Episcopi & 1. Timoth. 3. est.

Mali Episcopi.

Huic ueri & boni Episcopi descriptioni opponit imaginem contrariam falsorum & malorum Doctorum, cum inquit: Multi sunt intractabiles, & uaniloqui & mentium seductores. Hos uult redargui sæueriter.

IN SECVNDO CAPITE, tradit præcepta œconomica, quæ in œconomia sint officia singulorum, quid senes, quid anus, quid adolescentulas, & adolescentes, quid seruos & ancillas facere & quales esse deceat.

Præcepta œconomica.

His præceptis œconomicis addit causam grauissimam, hanc nempe. Ideo lucem Euangelij salutiferam passim in orbe terrarum accensam esse, ut abnegata impietate, & mundanis concupiscentijs, sobrie et iustè & piè uiuamus in præsenti seculo, expectantes beatam illam

illam spem & apparitionem gloriæ magni Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi.

Præcepta ad politicum ordinem per sinceritia.

IN TERTIO CAPITE, instituit politicum ordinem, in quo præcipit obedientiam debitam Magistratibus, nec uult turbari tranquillitatem & pacem publicam maledictis, pugnis, ferocia, appetitione uoluptatum, malitia, inuidia, odio & alijs uitijs, sed bonitate, mansuetudine, beneficentia, amore mutuo, publicam tranquillitatem foueri & ali, & ut in proximo capite, ita & hic in tertio addit causam, cur hæc præstenda sint, nempe nos ideo secundum misericordiam saluos factos, per lauacrum regenerationis ac renouationis Spiritus sancti, & Spiritum sanctum effusum in nos per Iesum Christum seruatorem nostrum, ut iustificati illius gratia, heredes efficeremur iuxta spem uitæ æternæ, & ut sic effecti hæredes fide sola misericordis & gratia gratuita, solliciti simus, ut bonis operibus præsimus, qui credidimus Deo, sicuti & supra in fine secundi capitis ostendit, Christum dedisse semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum, non ut redempti & purificati, sicut sus lota rursus sese polluerent & contaminarent sectatores malorum operum. Ita ostendit in

quem

quem finem redemptio, reconciliatio, purificatio, iustificatio, per Christum, Item regeneratio ac renouatio per Spiritum sanctum facta sit, nempe ut simus sectatores bonorum operum, & solliciti, ut bonis operibus præsimus, qui credidimus Deo. Sectatores enim malorum operum, scortatores & adulteri non accipient hereditatem regni Dei. Iubet autem primum stultas quæstiones & genealogias, deinde & autores sectarum omittere & fugere 1. Corin. 6.
or.

Digna igitur hæc Epistola est cognitione, quæ breuissimè tanquam in tabula omnium ordinum hominibus ob oculos ponit, quid quemq; in suo ordine facere conueniat.

Quanquàm autem Paulus ex professo fidei doctrinam in hac Epistola, sicut ad Romanos & Galatas & in alijs quibusdam Epistolis non tractet, sed tantum Christianorum mores informet, tamen subinde aliquid de doctrina fidei aspergit, ut in postrema parte Secundi & Tertij capitis facit. In quibus duobus locis docet ideò decere nos ea opera præstare, de quibus ab ipso mentio facta est, eò quod Christi sanguine redempti & mundati simus, ne rursus carnalibus desiderijs inquinemur. Paulus non tradit doctrinam Iustificationis hoc loco ex professo.

Testantur itaq; manifestè hi duo loci, fide iusti-

iustificatos solos facere bona opera, nec operibus iustificari hominem, sed fide sola gratuita gratia & misericordia Dei, propter Christum pontificem pro peccatis nostris oblatum, & eius meritum ac intercessionem.

Bona opera cur necessaria.

Quare Paulus, ut dictum est, non docet ex professo fidem in hac Epistola, sed opera, quæ, ut fructus, fidei iustitiam sequi debent. Nam etiam in iustificatis necessaria sunt bona opera.

PRIMVM, quia Deus ea præcipit in Decalogo, Nam hæc bona opera uocamus, quæ in Decalogo præcepta sunt.

SECVNDO, quia ad hæc bona conditus est.

TERTIO, quia ad hæc redemptus est, sicuti hic inquit, ut redimeret nos ab omni iniquitate &c.

QVARTO, ut nostra fides per bona opera, fiat testata alijs, & nostro exemplo alij ad fidem inuitentur.

QVINTO, ut certam faciamus uocationem nostram.

SEXTO, ut doctrina Euangelij seruatoris nostri Dei ornetur in omnibus.

SEPTIMO, ut fructus Spiritus in nobis lucentes testentur nos fide sola antea iustifi-

ßificatos, uere etiam regeneratos ac reno-
uatos per Spiritum sanctum.

OCTAVO, ut Deus per nos organa
sua benefaciat generi humano.

NONO, quia bene operantibus Deus
promittit bona temporalia & æterna, male
autem operantibus pœnas temporales et æter-
nas.

DECIMO, ut cum bona operamur,
omnia rectè gerantur, in Ecclesia, œconomia
& politia.

Digni igitur odio sunt Antinomi & eo- Antinomi.
rum similes, qui credentibus & sola fide iusti-
ficatis, negant necessaria esse bona opera,
cum Paulus uelit eos qui crediderunt Deo
(Nam hæc eius uerba sunt) sollicitos esse, ut
bonis operibus præsint, & Christum ideo de-
disse semetipsum pro nobis ut redimeret nos
ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi po-
pulum peculiarem, sectatorem bonorum ope-
rum. Et præcipiat Tito, ut per omnia semet-
ipsum præbeat formam bonorum operum in
doctrina, & uelit nos omnes credentes in
Christum, ad omne opus bonum esse paratos,
& hoc præceptum toties in hac breui Epi-
stola repetitum, in fine Epistolæ iterum cum
repetere non pigeat, eum sic inquit: Discant

autem et nostri bonis operibus praesse ad necessarios usus, ut non sint infrugiferi.

Iactant Antinomi & eorum complices fidem, & tamen negant fidei seu iustitiae fructus esse necessarios, cum Paulus hic manifeste dicat: Discant nostri bonis operibus praesse ad necessarios usus, ut non sint infrugiferi. Si bona opera ad usus necessarios, necessaria sunt, ergo sunt necessaria, sed de talibus dicit hic Paulus, Deum profitentur se scire, caeterum factis negant, cum sint abominabiles & dicto non audientes, & ad omne opus bonum reprobi, quo quid horribilius dici posset? Det igitur Deus Antinomis mentem sanorem, vt Deum scientes, factis confiteantur, ut placeant Deo, & dicto obediant, & ad omne opus bonum parati & idonei sint, Amen.

Paulus seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi.

HAec est subscriptio, indicans, à quo Epistola sit scripta. Vtitur autem hac subscriptione sine discrimine, ut in Romanis Paulus seruus Iesu Christi, hic uero Paulus seruus Dei. Nam qui seruus Iesu Christi est, idem & seruus Dei est.

Aposto-

Apostolus autem Iesu Christi.

NOn ponit simpliciter nomen suum Paulus, sed addit etiam mentionem sui officij & suæ uocationis, cum inquit: Paulus seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi, Vt cum Cicero scribit, Marcus Tullius Cicero pro consul Ciliciæ, meminit officij sui ideo, ut auctoritatem sibi comparet, Sic quoq; Paulus hoc loco sui officij & uocationis meminit. Cur mentionem uocationis sui faciat.

PRIMVM, ut se seruum non hominis, sed DEI, & legatum non Cæsaris Neronis, sed Filij Dei, Domini nostri Iesu Christi esse ostendat, ut afferentem mandata à Deo patre, et Filio eius Domino Iesu Christo, eo attentius audiant & facilius his mandatis obediant, nec ea contemnant. Rationes.

SECVNDO, ut lectores & auditores sciant hunc seruum & legatum, non suæ, sed Dominorum suorum Dei, & Iesu Christi mandata afferre, & se non Pauli Tharsensis, sed Dei & Iesu Christi, uocem & scripta audire & legere, sicuti inquit Christus, Qui uos audit, me audit. Et 1. Thessa. 2. Cum accepe-retis sermonem à nobis, quo Deum discebatis, accepistis non sermonem hominis, sed sicut erat uere sermonem Dei, qui & agit in nobis credentibus.

3 TERTIO, ut mentione suarum Dominorum, contemptum doctrinæ suæ amoueat. Futurum enim, si cum sua doctrina contemnatur Paulus, contemptus redeat ad Deum patrem & Filium eius Dominum nostrum Iesum Christum.

4 QVARTO, ut suam authoritatem & uocationem, quæ immediatè à Deo & Iesu Christo est, opponat uocationi Pseudoapostolorum, qui aut nullam legitimam uocationem habebant, currentes cum non missi essent, aut si quam habebant, habebant saltem mediatam per homines factam, Ideo hoc titulo, quo Paulus hic utitur, se seruos Dei, & Apostolos Iesu Christi esse, uerè uti non poterant.

5 QVINTO, ostendit se non sua in hac functione et legatione quæsiturum esse, sed quæ Dominorum suorum sint Dei & Iesu Christi, id quod boni & fidelis serui est. Pseudoapostoli uero sua tantum quærunt, & ut hominibus placeant. Contra, Paulus de se Galat. 1. inquit: Vtrum hominibus suadeo, an Deo? aut quæro hominibus placere? Nam si hactenus hominibus placuissem, Christi seruus haud quaquam essem.

6 SEXTO, ut significet se nihil aliud docere aut scribere, quam quæ à Deo patre, & filio eius Iesu Christo sibi legato commissa & con-

& concredita sunt. Hæc cum supra quoq; in subscriptione aliarum Epistolarum tractata sint, ideo non opus hic est longiori explicatione, illud autem quod sequitur in aliarum Epistolarum subscriptionibus, non addit Paulus.

Iuxta fidem electorum Dei & agnitionem ueritatis, quæ est secundum pietatem in spe uitæ æternæ.

Fides electorum Dei, ad quam prædicandam uocatus est Paulus, est, qua omnes electi Dei à mundo condito, usq; ad consummationem seculi crediderunt, credunt, & credent quod Christus (sicut hic in tertio capite inquit:) saluos facturus esset, faceret aut fecerit, nos omnes in ipsum credentes, non ex operibus quæ sunt in iustitia, quæ faciebamus nos, sed secundum suam misericordiam, per lauacrum regenerationis ac renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos opulenter per Iesum Christum seruatorem nostrum: ut iustificati illius gratia hæredes efficeremur, iuxta spem uitæ æternæ. Quæ sit fides electorum Dei.

Hæc fuit fides electorum, Patrum, Adæ, Noë, Sem, Abrahæ, Isaac, Iacob &c. credentium Fides electorum, Patrum.

tium in promissum semen mulieris, quod conteriturum esset caput serpentis, qui non ex operibus suis, quæ erant in iustitia, quæq; faciebant patres, sed secundum Dei misericordiam salui facti, & illius gratia iustificati, hæredes facti sunt, iuxta spem uitæ æternæ, qui & suum lauacrum, suas miserias & afflictiones multas & magnas habuerunt, per quas in mortem Christi baptisati sunt, sepulti una cum illo per baptismum in mortem, ad crucifigendum & mortificandum ueterem hominem, qui ex Spiritu sancto in eos opulenter effuso per Iesum Christum seruatorem nostrum, regenerati ac renouati sunt &c.

Fides electorum Prophetarum.

Eadem fides & Prophetarum & omnium electorum Dei ante Christum ex uirgine natum, fuit, quæ iustificati & per Christum saluati sunt, facti hæredes iuxta spem uitæ æternæ. Non enim est in alio quoquam salus. Nec enim aliud nomen est sub Cœlo datum inter homines (siue patres, siue Prophetæ, siue ante Christum natum ex Virgine, aut postea fuerint) in quo oporteat nos saluos fieri. Item, Huic omnes Prophetæ testimonium ferunt, quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum & per fidem electorum Dei omnes patres & electos Dei, qui ante Christum incarnatum

fuerunt

fieri, iustificatos & saluatos esse, non per opera, sed per gratiam Christi, manifestißime testatur Petrus, Acto. 15. Vbi ait: Quid tentatis Deum? ut imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neq; patres nostri, neq; nos portare potuimus. Sed per gratiam Domini Iesu Christi, credimus nos saluos futuros, quemadmodum & illi, scilicet patres. Testis item est Epistola ad Hebreos, unam fidem electorum omnium, qua saluantur esse, toto Capite undecimo. Item Paulus Ephes. 4. Vnum corpus & unus Spiritus, quemadmodum & uocati estis, in una spe uocationis uestræ, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & pater omnium.

Est igitur fides electorum Dei, fides in Christum, uel promissum uel exhibitum, & iam regnantem ad dexteram patris. Ad quam docendam & propagandam se uocatum & missum, ostendit, non ad legem & eius opera & ceremonias docendas Fides electorum Dei.

Electi uero Dei sunt omnes credentes in Christum, iuxta ipsius Christi dictum: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum

genitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Item, Qui credit in Filium, habet uitam æternam. Item, Qui crediderit & baptisatus fuerit, salus erit. Item Ephes. 1. Elegit nos in Christo antequam iacerentur fundamenta mundi. Quia uero de electione et prædestinatione in proxima Epistola 2. Timoth. 2. copiosius dictum est, non opus est hic repetere prolixius.

Addo & Theophylacti enarrationem, qui sic interpretatur.

Secundum fidem electorum Dei. Multipliciter hoc intelliges, uel quia Apostolus sum, ut electi per me credant, uel quia Apostolo mihi commissi sunt fideles, non quia operibus id meruerim, uerum quod placuerit ita Deo, ut crederet mihi, electos suos. Quo circa totum est gratiæ eius, qui concredidit mihi, quod legatione fungar, nec quia dignus sum, sed propter electos accepi dignitatem, autoritatemq; hanc. Eadem & Chrysostomi sententia est, ex quo Theophylactus, ut plerumq; solet, suam accepit.

Et agnitionem ueritatis.

OStendit Paulus se uocatum & missum esse à Iesu Christo Apostolum, non ad docendam circumcisionem aut legem Mosaicam

Mosaicam & eius opera, quæ Pseudoapostoli, qui ex circumcisione erant, docebant, uocitantes, nisi circumcidamini, secundum morem Mosi, non potestis esse salui. Quibus uocationibus moti Galatæ, se circumcidi passi erant, & ita Pseudoapostoli Ecclesias à Paulo bene institutas turbabant.

Talem doctorem & Pseudoapostolum se non esse ostendit, sed qui iuxta uocationem suam fidem electorum Dei, Id est, fidem in Iesum Christum, crucifixum & resuscitatum, doceat iuxta uerba Christi de Cœlo uocantis Paulum, Actor. 26. Ad hoc apparui tibi, ut constituam te ministrum ac testem eorum quæ uidisti, & eorum in quibus apparebo tibi, eripiens te à populo & gentibus, in quas te nunc mitto, ut aperias oculos eorum, ut conuertantur à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter eos, qui sanctificati sunt, Per fidem quæ est erga me, quæ fides, est fides electorum Dei, qua sanctificantur, accipientes remissionem peccatorum, & donationem Spiritus sancti per hanc fidem.

Sic dicit, se Apostolum esse iuxta fidem electorum Dei, sicut Ephes. 1. inquit: Elegit nos in Christo, antequam iacerentur fundamenta

menta mundi ut essemus sancti & irreprehensibiles, ut supra dictum est.

Iuxta agnitionem ueritatis.

Veritas quid hoc loco significet:

Addit autem, se quoq; esse Apostolum, iuxta agnitionem ueritatis. Vocat autem ueritatem, ueram lucem, ueram agnitionem, & noticiam Dei, ueram dilectionem & timorem Dei, ueram iustitiam & sanctitatem, uera & æterna bona, donationem Spiritus sancti, & uitæ æternæ, & significat, se non esse Apostolum missum ad umbras legis docendas, cum lex per Mosen data sit, Gratia autem & ueritas per Iesum Christum exorta sit, sicut & ad Colloss. 2. inquit: Ne quis uos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi aut nouilunij, aut sabbatorum, quæ sunt VMBRA rerum futurarum, corpus autem Christi.

Ioh. 1.

Festum Paschæ umbra non ueritas.

Opponit igitur agnitionem ueritatis, figuris & umbris legis Mosaicæ, ut mactatio et esus agni Paschalis, singulis annis, non fuit ueritas, sed figura & umbra ueritatis, quæ est quod Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. Itaq; festum Paschæ celebramus nos, non in figuris & umbris legis Mosaicæ, non in fermento ueteri, non in fermento malitiæ & uersutiæ, sed in panibus fermento carentibus, hoc est, sinceritate & ueritate.

1. Cor. 5.

Quæ

Quæ est secundum pietatem in spe uitæ æternæ.

Sicut agnitio legis, cultuum & ceremoniarum Mosaicarum, non fuit agnitio ueritatis uerorum cultuum, sacrificiorum uerorum, & æternorum bonorum, sed tantum agnitio figurarum & umbrarum, Ita & pietas, quæ secundum legem est, non est uera, sed figuratiua & umbratilis pietas, nec pietas in spe uitæ æternæ, sed in spe uitæ præsentis, sicut scriptum est, Qui fecerit ea, uiuet in eis, Item Deut: 28. Venient super te uniuersæ benedictiones istæ & appræhendent te, si præcepta eius audieris, Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro &c. Duplex pietas alia in spe uitæ præsentis, alia in spe uitæ æternæ. Leuit. 18.

Sic pietas legis, est pietas tantum in spe uitæ præsentis, non enim Moses introducit populum in terram promissam, sed Iosua, Dominus noster Iesus Christus.

Hic solus suum populum credentem sibi in spem uitæ æternæ, in hereditatem immortalem & incontaminabilem atq; immarcessibilem, reseruatam in cœlis erga nos, introducit, & nos omni benedictione spirituali in cœlestibus benedicit. De hoc solo dictum & scriptum est, qui credit in filium, habet uitam æternam. 1. Pet. 1. Ephes. 1.

Ostendit

Qualis Apostolus sit Paulus.

Ostendit igitur Paulus se esse Apostolum, PRIMVM, iuxta fidem electorum Dei, non eorum quos Dominus de cunctis populis in peculium, in regnum sacerdotale, & gentem sanctam sibi elegit, qui impingentes in lapidem pretiosum reprobati sunt, sed eorum electorum, qui super Christo lapide pretioso per fidem ædificati sunt.

Rom. 9. 1. Pet. 2.

DEINDE & iuxta agnitionem non figurarum & umbrarum Mosaicarum, sed veritatis, verorum & æternorum bonorum.

TERTIO, nec secundum pietatem, quæ umbratilis in externo cultu & cæremonijs, in spem præsentis uitæ, sed secundum pietatem veram & uiuificam in spem uitæ æternæ instituta est.

Quam promisit is, qui mentiri nescit, Deus, ante tempora æterna.

Vita æterna ex gratia promissa.

CVm ostendit uitam æternam promissam esse, & quidem ante tempora æterna. Id est, ut ad Ephes. 1. inquit: Elegit nos in ipso Christo, antequam iacerentur fundamenta mundi, Significat uitæ æternæ hereditatem non dari ex lege, seu propter nostra opera aut merita, sed gratuita gratia & misericordia Dei, propter promissionem editam, & pon-

& pontificem nostrum pro nobis oblatum & intercedentem Iesum Christum Filium Dei, sicuti infra capite tertio dicit: Non ex operibus quæ sunt in iustitia, quæ faciebamus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regeneerationis ac renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos opulenter, per Iesum Christum seruatorem nostrum, ut iustificati illius GRATIA, HÆREDES efficeremur iuxta spem uitæ æternæ.

Ita & Rom. 4. inquit: Si ij, qui ad legem pertinent, hæredes sunt, manis facta est fides, & irrita facta est promissio. Nam lex iram operatur, siquidem ubi non est lex, ibi nec transgressio est, idcirco ex fide datur hæreditas, ut secundum gratiam, ut firma sit promissio uniuerso semini.

Omnis uero promissio fide accipienda est, alioqui inanis & irrita fiet.

Hæreditas uitæ æternæ est promissa, ergo fide accipienda est.

Hæreditas quia promissa, ideo fide accipienda est.

Ita & ad Galat. 3. scriptum est: Nam si ex lege est hæreditas, non iam est ex promissione.

Atqui Abrahæ per promissionem donauit Deus.

Ita q; fide per promissionem donata hæreditas

reditas æternæ uitæ, accipienda est. Nam uita æterna non est nostrum meritum, sed Dei donum propter Christum Iesum Dominum nostrum, & illius solius meritum ac obedientiam nobis per promissionem donatum à Deo, Rom. 6. Galat. 3.

Lex cum omnibus operibus exclusa à iustificatione & salutatione hominis.

Excludit igitur legem cum omnibus nostris operibus & meritis à nostri iustificatione, saluatione & hæreditate uitæ æternæ, & tribuit omnia promissioni diuinæ, & Dei gratiæ ac misericordiæ & unius Christi merito ac sacrificio, sicuti & in Romanis Cap. 3. inquit: Vt ipse sit iustus, & iustificans eum qui est ex fide Iesu, Vbi igitur gloriatio? Exclusa est. Per quam legem? Operum? Non, imo per legem fidei. Arbitramur igitur fide iustificari hominem absq; operibus legis.

Quod autem addit, Quam promisit is, qui mentiri nescit Deus. Significat promissionem uitæ æternæ omnibus credentibus in omnem æternitatem esse firmam & ratam, igitur non esse dubitandum de promissione à Deo facta, sed tuto ei credendum esse, neq; enim promissiones Dei propter nostra peccata fieri irritas, sed manere ratas omnibus credentibus, cum Deus sit ἀψευδὴς ueritas ipsa quæ mentiri nescit, neq; quenquam

fallit

fallit, sicuti Deus ipse de se testatur, Psal. 89. Si statuta mea prophanauerint, & mandata mea non custodierint.

Visitabo in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus peccata eorum.

Misericordiam autem meam non auferam ab eo, neq; mentiar in ueritate mea.

Neq; prophanabo Testamentum meum, & quæ procedunt de labijs meis, non faciam irrita &c.

Et Psal. 111. Opera manuum eius ueritas & iudicium, Fidelia omnia mandata eius, confirmata in seculum seculi, facta & facta uera & recta &c.

Ante tempora secularia.

ID est, priusquam tempora numero seculorum ordinata essent, promissa est uita æterna ab æterno, quia Deus non concluditur numero seculorum cum sit æternus, & quia ab æterno decretum & promissio in arcano consilio Dei facta est, ut genus humanum quando in peccatum & mortem prolapsum esset, propter filij Dei obedientiam & intercessionem rursus reciperetur, sicuti Ephes. 1. inquit: Elegit nos in ipso, antequam iacerentur fundamenta mundi. Ideo necesse

fuit

fuit patefieri & manifestari hoc arcanum decretum seu mysterium, temporibus eternis tacitum, suis certis & ad hoc diuinitus constitutis & ordinatis temporibus, sicuti sequitur.

Patefecit autem temporibus suis sermonem suum per prædicationem quæ commissa est mihi, secundum delegationem seruatoris nostri Dei,

Promissio uitæ æternæ patefacta.

SIcut rei ignotæ nulla cupido esse dicitur, ita quoq; rei ignotæ nulla consolatio esse potest. Vt igitur miserrimi homines Adam & Eua, cum tota posteritate sua in peccatum & mortem prolapsi, ex decreto & mysterio ante tempora secularia facto consolationem haberent, necesse fuit eis manifestari mentem & uoluntatem æterni patris, per filium λόγον, oratorem, qui est in sinu patris, omnium consiliorum conscius, & qui solus in sancta sanctorum ingreditur æternum pontifex.

Mox itaq; ut homo in peccatum & mortem prolapsus est, ne in desperationem mergeretur, Hanc arcanam uoluntatem & decre-

tum

de æterno factum ex sinu patris prodiens
patefacit homini, edita hac promissio-
ne ipsum semen mulieris conteret caput ser-
pentis, id est ad hoc, in humana natura appa-
rens filius Dei, ut dissoluat & destruat opera
diaboli, peccatum & mortem, quo humanum
genus colligatum captiuum & destructum,
salutem est, & restituat æternam iusti-
tiam & uitam, qua in creatione primum ho-
minem ad imaginem & similitudinem Dei crea-
tum, ornatus fuit.

Hæc prima patefactio est facta in Para-
diso, mox post hominis lapsum.

Secunda patefactio facta est
deinde ordine per scripturas Prophetica-
rum.

Postrema facta est, per Verbum caro
factum, filium ipsum habitantem in nobis.
Cuius uoce & scriptis Apostolorum, tum in
totam terram exiuit sonus eorum, iuxta præ-
ceptum Christi: Ite in orbem uniuersum, &
prædicate Euangelium omni creaturæ. De
hac uniuersali patefactione quæ per totum
mundum facta est, præcipue hic loquitur, sicut
ii & Rom. 16. in fine & conclusione eius
Epistolæ, cum inquit: Ei autem qui potens
est uos confirmare, secundum Euangelium
meum, et prædicationem Iesu Christi, secundum
reuelationem mysterij, temporibus æternis

tacitis (quod nunc patefactum est, per scripturas Propheticas, secundum præceptum æterni Dei, in obedientiam fidei in omnes gentes patefactis) Soli sapienti Deo per Iesum Christum, gloria in seculum Amen. Et præcedenti Epistola, 2. Timoth. 1. ijsdem uerbis p. opemodum inquit: Saluos fecit nos, & uocauit uocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, quæ data quidem est nobis per Christum Iesum, ante tempora æterna, sed palam facta est nunc per apparitionem seruatoris nostri Iesu Christi, qui mortem quidem abolevit, uitam autem in lucem produxit, ac immortalitatem per Euangelium, in quod positus sum ego præco & Apostolus ac doctor gentium. Cum hoc conuenit & exordium Epistolæ 1. Pet. 1.

Testimonia de patefactione suis certis temporibus.

Quod autem inquit suis, certis nempe, & ad hoc præordinatis temporibus patefactum esse sermonem Dei, passim obuia sunt in Prophetis & Psalmis eius rei testimonia, ut Psalmo 8. Ex ore infantium & lactentium perfeciſti robur propter inimicos tuos, ut destruas inimicum & ultorem. Psal. 16. Cœli enarrant gloriã Dei, in omnem terram exiit sonus eorum. Psal. 68. Dominus dabit uerbum cum magno exercitu Euangelistarũ in Eccle-

...dicite Deo, Domino de fontibus Isra-
...Beniamin adolescens dominatur eis &c.
...2. Et erit in nouissimis diebus, dicit Deus,
...ndam de Spiritu meo super omnem car-
...m &c.

Hiere: 31. Dabo legem meam in Visce-
...ibus eorum.

Esa: 2. Micheæ 4. De Sion egredietur
...& Verbum Domini de Hierusalem.

Esa: 52. Quam speciosi pedes annunci-
...ntium pacem, annunciantium bona &c.
...ne. 49. Danie. 9.

Tito Germano Filio iuxta communem fidem.

Inscriptio.

Vocat γνήσιον Germanum seu genuinum, eo quod per uerbum ueritatis à Paulo genitus seu renatus, fidem, doctrinam, pietatem, constantiam, patientiam, & reliquas uirtutes, quæ in Paulo erant, quam proxime repræsentabat, sicuti & Timothæum eo nomine ornat. Neq; enim omnes filij Pauli erant genuini, non ita Pauli patris similes.

Communis fides omnium electorum Dei.

Vocat autem Filium, Secundum communem fidem, seu secundum fidem

electorum Dei, ut supra dixit, qua omnes electi & filij Dei renascuntur, iuxta illud: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, Item, Renati non ex semine mortali, sed ex immortali, per sermonem viuentis Dei, & manentis in æternum, & hæc fides una, & communis est Paulo, Tito, Timotheo, & omnibus alijs renatis per Verbum Dei viuentis, Ideo omnes sumus filij & hæredes Dei, credentes in Christum Iesum, & omnes fratres, unum patrem in Cœlis inuocantes, per filium in Spiritu sancto, & hoc ius filiorum Dei accipimus fide, redempti ab unigenito Dei filio.

Iohan. 1.

1. Pet. 1.

Galat. 4.

Salutatio.

Gratia, misericordia, pax à Deo patre & Domino Iesu Christo, saluatore nostro.

Gratia.

HÆc salutatio est, Gratia amor et fauor est qua nos æternus pater propter filium complectitur & diligit, sicut ad Ephesios Cap. 1. inquit: Dilexit nos per dilectum.

Misericordia

Misericordia est, qua propter filij intercessionem & meritum nobis remittit peccata, imputat iustitiam, donat Spiritum sanctum & vitam

...m eternam, & nos receipit, ut si-

...ex est, cum à patre & filio Dei Spiri- Pax.
...tur in corda fide purificata effusus,
...& misericordia Dei, cum letitia &
...itate sentitur. Nam tum corda, quæ
...unt contrita & perterrita sensu iræ
...stitiæ iustitiam & pacem & gaudi-
...spiritu sancto, iuxta dictum, Iustificati
...item habemus erga Deum, per Do-
...nostrum Iesum Christum, Et hæc tria
...gratia, misericordia, pax, donantur à
...patre, & Domino Iesu Christo saluatore
...tro, per Spiritum sanctum, in corda nostra
...sum, sicuti Rom. 5. inquit: Dilectio Dei
...ta est in cordibus nostris per Spiritum
...ctum, qui datus est nobis.

Huius rei gratia reliqui te in Creta, ut quæ desunt, corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego constituti tibi.

Ostendimus supra huius Epistolæ tria capita, continere triplicia præcepta. Primum, complectitur Ecclesiasticas,

secundum œconomica, tertium uero Politicæ. Orditur igitur ab Ecclesiæ gubernatione tanquam digniori.

Collegerat Paulus suo ministerio, ut Titi & aliorum, passim in Creta Insula celeberrimæ, quæ ἑκατόμπολις à centum Urbibus dicta fuit, Ecclesiam, sed quia Paulo iuxta suam uocationem necesse erat, etiam in aliis locis Euangelij doctrinam propagare, abiit inde & mandatum dedit Tito, ut passim per ciuitates presbyteros constitueret, ne oues dispersæ sine Pastoribus essent.

Creta Insula ἑκατόμπολις.

PRIMVM uero addo hic, quæ hoc loco Hieronymus de præsbyteris & Episcopis scribit, quæ contra primatum Pontificis Romani diligenter obseruanda sunt. Sic enim refert in Enarratione huius Epistolæ.

Idem est præsbyter qui Episcopus, & antequam Diaboli instinctu, studia in religione fierent & dicerctur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi præsbyterorum consilio, Ecclesiæ gubernabantur. Postquam uero unusquisq; eos quos baptizauerat suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur. putat aliquis non scriptu-

Presbyter idem qui Episcopus.

...rarum, sed nostram esse sententiam, ...opum & presbyterum unum esse, & ...etatis, aliud esse nomen officij, relegat ...oli ad Philippenses uerba dicentis. Pau- Probat testimonio Pauli.
... & Timotheus serui Iesu Christi, omni- ...sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis ...Episcopis & Diaconis, gratia uobis & ... & reliqua. Philippi una est urbs Ma- ...niæ, & certe in una ciuitate plures, ut ...cupantur Episcopi esse non poterant, sed ...eosdem Episcopos illo tempore quos & ...sbyteros appellabant: propterea indiffe- ...ter de Episcopis quasi de presbyteris est ...locutus.

Adhuc alicui uideatur ambiguum, nisi ...ero testimonio comprobetur. In Actibus Acto.20.
...stolorum scriptum est, quod cum uenisset ...stolus Miletum, miserit Ephesum, & uo- ...erit presbyteros Ecclesiæ eiusdem, quibus ...stea inter cætera sit locutus: Attendite ...bis & omni gregi, in quo uos Spiritus san- ...tus posuit Episcopos pascere Ecclesiam Do- ...ni, quam acquisiuit per sanguinem suum. ...hic diligentius obseruate, quomodo unius ...itatis Ephesi presbyteros uocans, postea ...eosdem Episcopos dixerit, Si quis uult recipe- ...re eam Epistolam, quæ sub nomine Pauli ad Hebræos scripta est, & ibi æqualiter inter

plures Ecclesiæ cura diuiditur, siquidem ad plebem scribit: Parete Principibus uestris, & subiecti estote, ipsi enim sunt qui uigilant pro animabus uestris, quasi rationem reddituri, ut suspirantes hoc faciant, siquidem hoc utile uobis est, Et Petrus, qui ex fidei firmitate nomen accepit, in Epistola sua loquitur dicens: Presbyteros ergo in uobis obsecro conpresbyter, & testis Christi passionum, qui & eius gloriæ quæ in futuro reuelanda est, socius sum, pascite eum qui in uobis est gregem Domini, non quasi cum necessitate, sed uoluntarie. 1. Pet. 5.

Hæc propterea, ut ostenderemus quod ueteres eosdem fuisse presbyteros quos & Episcopos, Paulatim uero ut dissensionis plantaria euellerentur, ad unum omnem solicitudinem esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ consuetudine ei qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos, ita Episcopi nouerint se magis consuetudine quam dispositionis dominicæ ueritate, presbyteris esse maiores, & in commune debere Ecclesiam regere, imitantes Mosen, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israël, Septuaginta elegit cum quibus populum iudicaret, Hactenus Hieronymus.

Hæc ut supra dictum est, obseruanda sunt

sunt contra eos, qui primatum Pontificis Romani & præeminentiam Episcopalem tanquam institutionem diuinam defendunt, Ideo totum integrum locum ex Hieronymo huc adscribere, ut Lectores uiderent esse traditionem humanam.

Sunt autem duplices presbyteri, quidam Papistici, qui ab Episcopis rasi & uncti, non docendum Euangelium, & administranda Sacramenta, sed ad beneficia, ut uocant, & ad missas pro uiuis & mortuis sacrificandas, & ad confessiones audiendas ordinantur. Hoc enim ostendit Episcopus, qui ordinat sacerdotes, dum calicem dat in manum, & confert potestatem illam consecrandi & sacrificandi pro uiuis & mortuis, Item cum illis Spiritum sanctum inflat, & confessores facit, dicens, Accipe Spiritum sanctum. Presbyteri duplices Papistici.

Hæc est illa potestas consecrandi & absoluendi, quæ confertur in ordinatione sacrificulis, quos ipsi presbyteros uocant, de quibus tamen nihil nouerunt Apostoli, neq; tota Ecclesia Christi, qualis igitur populus est, talis sacerdos.

Secundum genus presbyterorum est eorum, qui uocatione legitima, Veri presbyteri.

legitima, uel per Magistratum, uel per Ecclesiam, uel per eos, quibus hanc potestatem tribuit Ecclesia, uocantur, & deinde ad δοκιμασίαν probationem et explorationem sistuntur presbyterio, an ad uerbi ministerium idonei, & tales sint, quales Paulus hoc loco & supra, 1. Timoth. 3. esse uult Episcopos, & Doctores Ecclesiæ, & ubi tales inuenti & approbati fuerint, tum demum potestas non sacrificandi Missas, sed docendi Euangelij, & administrandi Sacramenta, & ea omnia faciendi, quæ postulat ministerium uerbi, à toto presbyterio, cum precatione & impositione manuum eis confertur & tribuitur.

Sic 1. Timoth. 3. iubet constitui ministros tenentes mysterium fidei, cum pura conscientia, atq; hi probentur prius, inquit, deinde ministrent sic, ut nemo possit illos criminari, & ibidem capit. 4. Ne neglexeris, quod in te est donum, quod datum est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum, autoritate presbyterij. Et Cap. 5. Manus cito, ne cui imponas, neq; communices peccatis alienis. Item 2. Timo. 2. Hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.

Acto. 1. Sic Matthias Apostolus facta precatione à cæteris Apostolis cooptatur in numerum undecim Apostolorum.

Hic

Hic mos uocandi & constituendi presbyteros, seruatus est ab Apostolis, & ab ijsdem traditus Ecclesiæ, ut ex Pauli Apostoli Epistolis, & ex Actis Apostolorum manifestum est, qui mos & in nostris Ecclesijs seruatur, Atq; hi presbyteri uere presbyteri sunt, legitime uocati, probati à presbyterio, & missi ad docendum Euangelium et administrandum Sacramenta. Mos uocandi & ordinandi presbyteros ab Apostolis traditus.

Sacerdotes uero Papistici ad Sacrificium Missæ ordinati, non Dei, sed Satanæ sacerdotes sunt, cum Christi Sacrificium semel pro nobis & peccatis nostris oblatum, conculcent & aboleant, & homines in sua Sacrificia, quæ in Missa fiunt, confidere doceant, Ideo quoq; à Papistici Episcopis nullo modo ordinatio petenda est, cum eorum sacerdotes in contumeliam unici & sacrosancti Sacrificij Christi ordinentur, & cum nõ de grege Christi sint, nec Christi Pastoris uocem sequantur, sed ut hostes persequantur, Sicuti Apostoli in locũ Iudæ, non aliquem ex Scribis & Phariseis & aduersarijs, & hostibus suis cooptant, nec ordinationem à Caipha & Anna, qui Pontifices in ordinaria successione erant, petunt, sed ex suo corpore & grege Matthiam cooptant, & ipsi hunc ordinant. Papistici Sacerdotes. A quibus ordinatio petenda sit.

Potestas enim constituendi ministros tantum

Potestas constituendi ministros penes quos sit.

tum uerae Ecclesiae & eius coetus est, qui uocem incorruptam Pastoris sui sequitur & sonat, non est persequentium ueram doctrinam Christi, de illis dicitur, Translato sacerdotio,

Heb. 7

necesse est ut legis quoq; translatio fiat. Ibi enim tantum Ecclesia & sacerdotium est, ubi sacerdotis aeterni doctrina incorrupta auditur, de aduersantibus huic doctrinae dicitur, Quia

Osee. 4

tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.

Cum igitur sacerdotium Christi sacerdotis aeterni non sit apud Pontificios, nullos sacerdotes Christi constituere aut ordinare possunt, sed tantum sacerdotes Baaliticos, ut qualis Ecclesia et populus est, tales & sacerdotes sint.

Ibi enim tantum ministerium & ius uocandi & ordinandi ministros est, ubi uera Ecclesia est, quae ibi est, ubi uox Pastoris Christi incorrupta sonat, ut dictum est, et ubi Sacra-

Ioh. 10.

menta ita administrantur, ut à Christo instituta sunt. Oues enim Christi alienum Pastorem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt uocem alienorum, & tantum abest ut

Gal. 1.

ordinatio ministrorum ab hostibus Euangelij Christi petenda sit, ut si quis aliud Euangelium doceat, iuxta Pauli praeceptum, sit habendus tan-

...nquam Anathema, Et Christi præcep- Matth. 7.
...st, Matth. 7. Cauete à Pseudoprophetis. 1. Cor. 10.
... Paulus: Fugite Idola, Item: Omnis qui 2. Ioan.
...greditur, & non manet in doctrina
...sti, Deum non habet. Qui manet in do-
...a Christi hic & Patrem & Filium habet,
...is uenit ad uos, & hanc doctrinam non
...t, ne recipiatis eum in domum, nec Aue
...ceritis, qui enim dicit illi, Aue, communi-
...operibus eius malis.

Certum autem & manifestum est, ele-
...em & ordinationem ministrorum uerbi Penes quos
...e penes populum, & eos, qui Ecclesijs sit ius uocan
...sunt, Paulus enim cum refert, se ideo reli- di & ordi-
...se Titum in Creta, ut constitueret per ci- nandi mini-
...tes presbyteros, & cum Timotheo præci- stros Verbi.
..., ut ministerium commendet fidelibus ho-
...bus, qui erunt idonei, ut alios quoq; doce-
..., certe tribuit potestatem ijs, qui Ecclesijs
...sunt, ut præ rant Titus & Timotheus,
...stituendi presbyteros. Et hunc morem Mos primi-
...stituendi presbyteros, ab Apostolis tradi- tiuæ Eccle-
...seruatum esse in primitiua Ecclesia, ma- siæ in consti-
...nifestum est, tum ex Nicena Synodo, tum endis Epi-
...rimis historijs Ecclesiæ. Sic enim Syno- scopis & mi-
...dus Nicena ad Alexandrinos & Ægyptios nistris.
... ut Theodoretus refert: Dignum est
...potestatem habere, & eligendi quemlibet,
& no-

& nomina eorum dandi, qui Clero sunt digni, & absolute facere omnia, secundum legem & sanctiones Ecclesiæ. Si quem uero contigerit requiescere in Ecclesia, tunc prouehi in honorem defuncti eos, qui nuper adsumpti sunt, solummodo si uideantur digni, & populus eos elegerit, condecernente simul & designante maximæ Alexandriæ ciuitatis Episcopo.

Ita sanctus Athanasius, Ambrosius, Nectarius, Flauianus, Cyrillus & multi alij Episcopi & Pastores Ecclesiarum, à populo electi, cæterorum uero Episcoporum suffragatione confirmati sunt, etiam sine approbatione Romani pontificis, uide lib. 9. Cap. 14. Historiæ Tripar:

Hæc quia & supra 1. Timoth. 5. de ordinatione ministrorum Ecclesiæ tractata sunt, ideo hic prolixius repetere non est opus.

Si quis sine crimine est.

Quales Episcopi eligendi sint.

HIc docet quales Episcopi eligendi sint, non qui sine peccato (sine quo nullus hominum esse potest) sed qui ἀνέγκλητος sine crimine sit, qui nihil admiserit, ob quod in ius uocari possit, à uerbo καλέω, quod

in ius

uocare significat, qui non sit infamis
ter culpam aliquam. Fuit autem mos pro-
re nomina eorum, qui Ecclesijs præficien-
ane, ut si quis quid crimimis de eis sciret,
ferret in mediũ, tanta antiquitatis graui-
a retinenda disciplina fuit. Breuiter uult
scopum esse sine crimine, quod ad Timo- 1. Timot. 3
um scribit ἀνεπίλημπτον, irreprehensibi-
, inculpatum scilicet coram Ecclesia &
grege, ut sit exemplar gregis sibi commissi
omnem pietatem, uirtutem & honestatem,
pollutus aliquo crimine seu facinore.

Vnius Vxoris uir.

Vult esse contentum sua Vxore, non
plurium mulierum uirum, hoc est, non
ult esse Scortatorem aut adulterum,
quæ supra dictata sunt 1. Timoth: 3.

Filios habens fideles.

PRofitentes nempe eandem doctrinam &
fidem Christi, quam pater Episcopus
profitetur, non habens filios colentes
. Id enim magnum scandalum Ecclesiæ
esset, alium fidem profiteri filios, & aliam pa-
rem. Item quomodo alios instituet, qui pro-
prios filios

os filios in fide Christi non instituerit, quomodo præerit alienæ domui, qui suæ non bene præest? Qui igitur proprios filios negligit, quomodo alienorum habebit curam?

Non in accusatione luxus ἀσωτίας.

Non deditos crapulæ, bellluationibus, libidinibus & similibus flagitijs.

Aut non subditos, qui sint intractabiles, contumaces, præfracti quales filij Eli sacerdotis fuerunt.

Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem.

Descriptio personæ Episcopi.

Posteaquam ostendit, quales liberos Episcopi esse deceat, iam ipsam Episcopi personam describit, qui cum dispensator Dei sit, certe necesse est, ut talis sit, ne qua contumelia ex ipsius criminibus Deus afficiatur, sed potius ornetur, sicuti & Christus dispensatoribus Dei præcipit, cum inquit: Vos estis lux mundi, sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona opera, glorificentq; patrem

Matt. 5

patrem uestrum, qui est in Cœlis. Male enim dispensabit mysteria Dei, contraria his mysterijs faciens.

Μὴ αὐθάδη.

NOn contumacem, præfractum, intractabilem superbum, audacem, sibi placentem, contemnentem alios, qualis Paulus Samosatenus fuisse scribitur.

Μὴ ὀργίλον non iracundum.

ID est, non præcipitem in iracundiam, ne commoto animo in iudicando seu docendo à ueritate aberret & contra decorum aliquid iratus faciat. Nam ut aqua turbida ita etiam mente iracundia turbato, non est utendum. Decet enim ministros uerbi esse lenes, mites & placidos. Reuera autem ut hic Hieronymus inquit: Nihil est fœdius præceptore furioso, qui cum debeat esse mansuetus, & secundum illud quod scriptum est, seruum Domini non oportet rixari, sed humilem esse ad omnes, doctorem patientem, in mansuetudine erudientem eos, qui contra ueniunt, ille è diuerso toruo uultu, trementibus labijs, rugata fronte, effrenatis conuicijs, facie inter pallorem ruborem; uariata clamore perstrepat, & errantes non tam ad bonum retrabat, Hieronymus 1. Timoth. 3.

quam ad malum ſua ſæuitia præcipitet, inde
Prouerb. 29 eſt, quod & Salomon ait; Ira perdidit etiam
ſapientes, & ira uiri iuſtitiam Dei non ope-
Iacob. 1. ratur, Neq; uero qui aliquando iraſcitur, ira-
cundus eſt, ſed ille dicitur iracundus, qui cre-
brò hac paſſione ſuperatur.

Μὴ πάροινον. Non uinoſum aut uinolentum.

QVod ad Timotheum dicit, non mul-
to uino deditum, Qualē eſt autem
inquit, idem Hieronymus, Epiſcopum
uidere uinolentum, ut ſenſu occupato, uel exal-
tet riſum, contra grauitatis decorem & labijs
diſſolutis cachinnet, uel ſi paululum triſtis cu-
iusdam rei fuerit recordatus, inter pocula in
ſingultus prorumpat, & lachrymas? Lon-
gum eſt ire per ſingula et inſanias quas ebrie-
tas ſuggerit, explicare, uideas alios pocula in
tela uertentes. Scyphum in faciem iacere
conuiuæ, alios ſciſſis ueſtibus in uulnera alienа
proruere, alios clamare, alios dormitare, qui
plus biberit fortior computatur.

Accuſationis occaſio eſt, adiuratum per
Regem, frequentius non bibiſſe, uomunt ut bi-
Ephe. 5. bant, bibunt ut uomāt, &c. Et id eſt, quod alibi
dicit, In uino eſſe ἀσωτίαν luxuriā ſeu luxum.

Μὴ πλήκτην, non percussorem, μὴ αἰσχροκερδῆ non turpiter lucro deditum.

De his 1. Timoth. 3. dictum est.

Sed hospitalem.

Episcopi enim domus, omnium commune debet esse hospitium, Atq; ideo constitutum fuit, ut de bonis Ecclesiasticis propter hospitalitatem una pars cederet Episcopo, Sicuti Gregorius Pontifex Romanus, in quadam Epistola ad Augustinum Episcopum Cantuariensem refert his uerbis: Mos sedis Apostolicæ est, ordinatis Episcopis præceptæ tradere, ut in omni stipendio, quod accidit, quatuor debeant fieri portiones, una uidelicet Episcopo & familiæ propter hospitalitatem & susceptionem, alia Clero, tertia Pauperibus, quarta Ecclesijs reparandis, Sed hæc bona Episcopi in Papatu ad se transtulerunt, nihil hospitibus communicantes. Fuerunt autem istæ sic constituta propter persecutiones, ut hospitia haberent miseri exules & peregrini, & nota sunt dicta, quibus hospitalitas nobis commendatur 1. Pet. 4. Hospitales estote erga uos inuicem, Ebreos 15. Hospitalitatis ne sitis im-

memores, per hanc enim quidam inscientes, exceperunt Angelos hospitio.

φιλάγαθον benignum.

Amantem boni, modestum, mitem, moderatum, non inuidentem alijs.

σώφρονα sobrium.

Qui mente sit sobrius, prudens, sapiens.

δίκαιον iustum.

Non pleonecticum, non uiolantem iustitiam, non facientem cuiquam iniuriam.

ὅσιον pium.

Reuerentem Dei, non prophanum.

ἐγκρατῆ continentem.

Non indulgentem uoluptatibus & affectibus, Sed ijs imperantem & eos coercentem.

Amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem.

ἀντέχομαι uerbum significat adhaerescere & mordicus retinere. Vult igitur Episcopum ita amplecti sanam doctrinam, ut nullis præsti-

prestygijs & corruptelis se ab ea auelli patiatur, Nec uult amplecti fabulas Iudaicas aut Aniles, sed sermonem docentem sanam & ueram fidem, Vult igitur instructum esse lectione scriptorum Propheticorum & uaria doctrina, ut idoneus sit ad alios quoq; docendos. Nam docendi officium, primum & præcipuum munus Episcopi est.

Vt potens sit & exhortari in doctrina sana.

SEcundum munus Episcopi est, ut postea quam sanam doctrinam fideliter tradidit, norit etiam ignauos & segnes, remittentes curam discendi & proficiendi, in pietate exhortari, ut in fide, timore & amore Dei, in patientia et fructibus Spiritus ac iustitiæ quotidie crescant, uigilent & sint sobrij, ne à Diabolo securi & sterțentes opprimantur, ut David securus & pietatis curam remittens, oppressus fuit laqueis Diaboli, adulterio & homicidio irretitus.

Et eos qui contradicunt arguere.

ἐλέγχειν arguere, & argumentis certis & firmis conuincere est, Id quod non omni-

um, sed eorum est, qui singulari doctrina & cognitione rerum sacrarum bene muniti & instructi sunt.

Cogitent igitur Episcopi & Pastores, quantum munus sustineant, & ideo diligentius rerum sacrarum & uariarum artium cognitione se instruant, ut contradicentes ueritati refutare possint.

Negligentia Episcoporum

Tantum autem abest, ut Episcopi, qui nunc sic uocantur, his rebus studeant, ut sanam doctrinam teneant, consolari & exhortari, et contradicentes refutare possint, ut hanc curam non ad se, sed ad Sophistas, aut, nescio quos Theologos, seu potius Matæologos aut Monachos, quos uel in Aulis uel in Ecclesijs collegiatis, aut Monasterijs alunt, pertinere existiment. Magna quoq; ignauia multorum rectè docentium hoc tempore in discendo est, Idco addo, quæ hoc loco Hieronymus dicit: Hic locus aduersus eos facit, qui inertiæ se & ocio et somno dantes, putant peccatum esse, si scripturas legerint, & eos qui in lege Domini meditantur die ac nocte, quasi garrulos inutilesq; contemnunt, non animaduertentes Apostolum, post Catalogum conuersationis Episcopi, etiam doctrinam similiter præcepisse. Hæc Hieronymus.

Hieronymus

Lectio & cura discendi præcepta Episcopis & Pastoribus

Præci-

Præcipitur igitur ſtudium legendi & dicendi, ſicuti & 1. Timoth: 4. Attende lectioni, exhortationi doctrinæ, hæc exerce, in his eſto, ut tuus profectus manifeſtus ſit in omnibus, Attende tibi ipſi & doctrinæ, perſiſte in his. Namſi id feceris, te ipſum ſeruabis, et eos qui te audierint.

Hæc præcepta de ſtudio diſcendi non ſruſtra toties inculcat & repetit Paulus. Vult enim nobis eſſe in conſpectu, & diſcendi ſtudium in nobis accendere & feruere, ut ſimus inſtructi ad docendam ſanam doctrinam, ad conſolandum mœſtos et afflictos, ad confirmandos infirmos, ad exhortandum ignauos & ſegnes, ad arguendum & increpandum pertinaces, et refutandos contradicētes et aduerſarios.

Magnum itaq; & difficile munus Epiſcopi & Paſtoris eſt. Non ſint igitur ignaui & ſegnes, in diſcendo & legendo &c.

Sunt enim multi etiam inobedientes, uaniloqui & ſeductores, maxime qui de Circumciſione ſunt.

HActenus Paulus oſtendit, quales Epiſcopos conſtitui oporteat, qui præſint Eccleſiæ, nunc deſcribit par- Deſcriptio & Antitheſis malorum Doctorum.

partem contrariam, & docet fugere, & iubet refutare partem aduersam, qui quoq; Episcopi & Doctores Ecclesiarum esse uolunt, cum nihil istarum uirtutum, de quibus iam dixit, sed contraria omnia in his conspiciantur.

Est igitur hæc Antithesis, qua ueris Episcopis & Pastoribus opponit partem aduersam peruersorum Episcoporum & Doctorum.

ἀνυπότακτοι.

PRIMVM autem dicit multos hominum esse inobedientes, qui nolint cogi in ordinem, nolint obedire sanæ doctrinæ, & nolint captiuas duci suas cogitationes ad obediendum Christo, sed qui doceant, quæ ipsis uidentur & placent, non inquisita doctrinæ ueritate, indulgentes suis affectibus, suæ humanæ sapientiæ, quæ stultitia coram Deo est.

Inobedientes

2. Corin. 10

1. Cor. 3

Tales inobedientes erant Pseudoapostoli ex Circumcisione, qui resistebant Paulo & ceteris Apostolis docentibus hominem iustificari fide, absq; operibus legis, nec necessariam esse Circumcisionem et obseruationem dierum festorum, nouilunij, Sabbathorum &c. Tales hoc tempore inobedientes, etiamsi scripturis diuinis, & à propria conscientia conuicti

uicti sint, sunt multi in Papatu luci Euangelij resistentes & reclamantes.

ματαιολόγοι.

SECVNDO sunt, qui uolunt esse Theologi, uideri & haberi pro Theologis ueram doctrinam de Deo docentibus, cum sint Mateologi uaniloqui, uana, superstitiosa & inutilia, multa etiam Idolatrica, blasphema contra Deum, effutientes & uomentes. Tales Mateologi erant Pseudoapostoli, qui diuersam à Christo & Apostolis doctrinam sequentes, docebant fabulas prophanas & Aniles & Genealogias Iudaicas, quas iubet Timotheum & Titum infra cap: 3. fugere & reijcere. 2 Mateologi. 1. Timo. 4.

Tales in Papatu Mateologi sunt Doctores, Scholastici, & multi Sacerdotes & Doctores, Monachorum somnia uana, de Legendis Sanctorum, ipsorum inuocatione, miraculis & reliquijs, de meritis nostrorum operum, & similia multa uana iactantes.

καὶ φρεναπάται.

TERTIO sunt & Impostores seu mentium deceptores, qui uarijs præstigijs & imposturis Sophismatum & corruptelarum simplices animos fascinant, & in errorem inducunt, quales Pseudoapostoli erant, qui Circumci- 3 Impostores.

cumcisionem & legem Mosaicam à Deo ipso mandatam, & mirabiliter tot seculis conseruatam uociferabantur non esse abiciendam, sed necessariam ad iustitiam & salutem, cum hæc omnia ad certum tempus tantum, donec ueniret Semen Abrahæ promissum, & ut essent umbræ futurarum rerum, diuinitus instituta essent, Ideo hic inquit: Eos qui de Circumcisione sint, maximè esse inobedientes doctrinæ Euangelij, Vaniloquos & Seductores, Sed & hoc tempore multi tales Impostores in Papatu sunt, maximè ij, qui nos non sola fide, sed & proprijs operibus & meritis iustificari & saluari acerrimè contendunt, & deinde multis & uarijs imposturis ad decipiendas mentes hominum utuntur.

Sic é contrario falsos et pernicioſos Episcopos & Doctores descripsit, iam autem addit, quid talibus faciendum sit.

Quibus oportet obturare os, qui uniuersas Domos subuertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia.

ἐπισομίζειν. Obturare os firmis nempè & irrefu-

& irrefutabilibus argumentis & teſtimonijs ſacræ Scripturæ, ſicut Chriſtus Matth. 22. Phariſæorum & Saduceorũ os obturat, Sicuti Pſeudoapoſtolorum impoſtorum os uociferantium: Niſi circumcidamini ſecundum morem Moſi, non poteſtis eſſe ſalui, faſcinantium & decipientium mentes ſtultorum Galatarum, & aliorum multorum Paulus ac Barnabas, deinde Petrus & Iacobus obturarunt. Act. 15
Et Paulus eosdem impoſtores φρεναπάτας, in Epiſtola ad Galatas firmis teſtimonijs ſcripturæ refutat, & Pſeudoapoſtolorum ora obſtruit & obturat, Et hoc ideo fieri neceſſe eſt, cum Paſtoris munus poſtulet, curare quantum in ipſo eſt, ne uel una animula, quæ Chriſti ſanguine redempta eſt, pereat, quanto magis reſiſtendum illis eſt, qui totas domus & familias, prius rectè ſentientes & credentes ſuis præſtigijs euertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri cauſa, quos alibi Caupones Verbi Dei, & quorum Deum uentrem uocat, & dicit, Non Domino Ieſu Chriſto, ſed ſuo Ventri ſeruire, & per blandiloquentiam, & aſſentationem decipere corda ſimplicium, Item ſubire in familias, & captiuas ducere mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducuntur concupiſcentijs uarijs, Item, uocat mẽte corruptos, reprobos circa fidem, reſiſtere ueritati, 2. Corin. 2 Philip 3 Rom. 16 2. Timo. 3

ueritati, & hos iubet auersari habentes formam pietatis, sed qui uim eius abnegarunt, de quibus proxima Epistola 2. Timoth. 3. copiosius dictum est.

Dixit quidam ex illis proprius ipsorum Propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, uentres pigri.

Epimenides.

ALlegat testimonium ueteris Poetæ, Epimenidis, qui Cretensis fuit, quo ostendit, & conuincit Cretenses esse leues, mendaces, malas bestias, & deditos uoluptatibus, & affirmat hoc testimonium Poetæ (quem per Ironiam Prophetam uocat, ut talis sit Propheta, qualis populus) uerum esse, ut mores eius gentis Cretensium nempè, eò tempore quoq; testabantur, ideo inquit:

Redarguito illos dure, ut sani sint in fide.

VT duplex genus hominum est, ita etiam duplex increpatio est. Sunt enim sanabiles & tractabiles, erga quos uult Episcopum esse placidum propensum ad docendum

endam, tollerantem malos cum mansuetudine, erudientem eos qui obsistunt. 2. Timo. 2

Deinde sunt alij intractabiles, uaniloqui mendaces, & mentium seductores, qui durius increpandi & redarguendi sunt, quibus oportet obturare os, & redarguere acrius ἀποτόμως durius, rigidius, Malo enim nodo, malus quærendus est cuneus, ut Prouerbio dicitur. Sic aliter agnoscentes peccata et remissionē petentes, aliter præfractos & contumaces tractat Christus, ut historia Euangelij ostendit.

Vt sani sint in fide.

SAni in fide sunt, qui non admittunt falsas opiniones, fabulas Iudaicas, mandata hominum auersantium ueritatem, nec ullas corruptelas doctrinæ cœlestis, sicut sequitur.

Non intendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum auersantium ueritatem.

REpetit hic præceptum, quod supra 1. Timoth: 1. tradidit, & alias sæpius repetit, ubi inquit: Renuncia quibusdam, ne di-

ne diuersam sequantur doctrinam, nec attendant fabulis & Genealogijs nunquam finiendis, quæ quæstionem præbent magis, quam ædificationem Dei, Item prophanas & Aniles fabulas reijce, Item stultas & imeruditas quæstiones respue, sciens eas parere pugnas &c.

Omnia munda mundis

SVpra uocauit Iudaicas fabulas, & hominum traditiones seu mandata, obseruationes dierum Festorum, Nouilunij, Sabbatorum. Item, abstinentiam à cibo & potu in lege prohibito, ubi alia erant munda, quorum usus concessus erat, alia autem immunda, quorum usus prohibitus erat. Item, ablutionem manuum cum ederent panem & similia, quæ Pseudoapostoli negabant tanquam ad iustitiam & salutem necessaria, de quibus & ad Colossenses scribit his uerbis, *Si mortui estis cum Christo ab Elementis mundi, quid quasi uiuentes in mundo decretis tenemini? ne tetigeris, ne gustaueris, neq; contrectaris, quæ omnia ipso pereunt abusu, iuxta præcepta & doctrinas hominum.* Turbabant uerò Pseudoapostoli, qui ex Circumcisione erant, passim Ecclesias, has obseruationes duriter exi-

exigentes, ſicuti & Scribæ & Phariſæi ideo cum Chriſto expoſtulant, Quare inquiunt, Diſcipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum? Non enim abluunt manus ſuas, quos refutat Chriſtus uerbis Eſaiæ, Fruſtra me colunt, docentes doctrinas præcepta hominum, Item, cum ait: Non quod ingreditur in os, impurat hominem, ſed quod egreditur ex ore, hoc impurum reddit hominem, Nam ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, ſtupra, furta, falſa teſtimonia, conuicia, hæc ſunt, quæ impurum reddunt hominem, quæ autem in os ingrediuntur, in aluum abeunt, et in ſeceſſum deijciuntur. Matth. 15

Omnia igitur, ut hic inquit Paulus, Mundis mundis, quorum corda fide purificata, & per Spiritum Sanctum renouata & ſanctificatu ſunt, quia per Dominum Ieſum nihil eſt commune, id eſt impurum per ſe. Sanctificantur enim omnia uerbo & precatione, Ita cum Petrus Act. 10. iubetur ſurgere, mactare & eſci, ille autem ait, nequaquam Domine, quia nunquam edi quicquam commune & immundum, & uox rurſus iterum ad eum, quæ Deus purificauit, tu communia ne dixeris, Non enim eſt regnum Dei cibus ac potus, ſed iuſtitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. 1. Timo. 4 Rom. 14.

Quare

Quare cum iam leges iudiciales & ceremoniales umbræ rerum futurarum exhibito Christo essent abrogatæ, illæ obseruationes & hominum traditiones (quales multæ hodierno tempore in Papatu sunt) erant & sunt nil nisi Iudaicæ aut Papisticæ fabulæ, & mandata hominum a..ersantium ueritatem. Omnia enim munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus, quorum corda fide non sunt purificata, & per Spiritum sanctum renouata et sanctificata, nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia, quibus pollutis, totus homo impurus, & cætera omnia quibus utitur polluta redduntur, quia, quicquid ex fide non est, peccatum est. Ita impijs omnia sunt inquinata, cùm cor sit impurum, in quo per fidem non habitat Christus, nec Spiritus Sanctus, cuius Templum esse debebat, Econtra *omnia munda mundis.*

Ephe. 4
2. Cor. 6.
1. Cor. 6

Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominabiles & dicto non audientes, & ad omne opus bonum reprobi.

Occupatio

OCCVPATIO *hæc est, qua tacitæ obiectioni respondet, cum enim dixerit, inquina-*

inquinatos esse falsos doctores, posset aliquis obijcere, quomodo dicis impuros, cum confitentur se nosse Deum, & multa sancta opera externa faciant, ieiunent, dent Eleemosynas, faciant longas precationes, duriter affligant sua corpora, qualia hypocritarum, Pharisæorum & hoc tempore multorum Monachorum papisticorum hominum sunt opera, qui iactant se Deum nosse, se esse Christianos, se veram fidem habere, & tamen factis negant Deum, sicut Iudæi Iohannis 8. iactant se semen Abrahæ esse, sed ex factis & operibus quòd Christum innocentem interficere quærebant, probat Christus eos non Abrahæ filios, sed ex patre Diabolo esse. Ita Pharisæus ille Luc: 18. etsi confitetur se Deum nosse, & Deo gratias agat, quòd non sit sicut ceteri homines, raptores, iniusti, adulteri, ieiunet bis in Sabbato, decimas det omnium quæ possideat, tamen quia est sine fide & fiducia misericordiæ diuinæ, sine timore & amore Dei & proximi, inflatus fiducia propriæ iusticiæ ac bonorum operum & meritorum, non agnoscens sua peccata & naturæ corruptionem & infirmitatem, nec agens pœnitentiam, negat his factis, hac fiducia propriæ iusticiæ, & contemptu publicani Deum, qui arguit totum genus humanum

Qui negant Deum.

peccati, & promittit omnibus agentibus pœnitentiam & fide ac inuocatione ad ipsius misericordiam confugientibus remissionem peccatorum propter Semen Abrahæ, suum filium pontificem nostrum pro peccatis nostris sibi offerendum, & pro nobis assiduo interpellantem.

Negantes Deum.

Sic Turci, Mosci, Iudæi, Pharisæi, Papistæ, Hæretici, & omnes Pseudochristiani, Deum ore confitentes, non autem ueram pœnitentiam agentes, nec dignos pœnitentiæ fructus producentes, nec fide & inuocatione ad Dei misericordiam per mediatorem Dominum nostrum Iesum Christum confugientes & remissionem peccatorum petentes, nec fundamentum doctrinæ per Christum, Prophetas & Apostolos traditum retinentes, quantumuis externa specie multorum bonorum operum ac meritorum ornati uideantur, his suis factis negant uerum & uiuum Deum, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi, & qui Filium Saluatorem & redemptorem generis humani in hunc mundum misit, & ideo misit, ut pateretur, & resurgeret a mortuis tertio die, & prædicaretur nomine eius pœnitentia & remissio peccatorum in omnes gentes. Non enim in alio est salus. Nec aliud

Luc. 24.

Act. 4.

nomen

men est sub cœlo datum inter homines, in quo oportcat nos saluos fieri.

Tales autem omnes, quicunq; siue ex circumcisione siue præputio sint, qui non agunt pœnitentiam, nec credunt filio, sunt abominabiles, & ἀπειθεῖς increduli seu dicto non obedientes. Dictum enim & mandatum Dei immutabile est, ut omnes credant in Filium, & ut omnes credentes in Filium, sint dilecti propter dilectum, nec pereant, sed habeant uitam æternam. Et econtra decretum immutabile est, ut omnis qui non credit Filio, sit abominabilis, sit immundus, impurus, pollutus, damnatus, non uideat uitam, sed ira Dei maneat super eum. Quia huius solius sanguine iustificati, seruantur per eum ab ira. Abominabiles Deo. Iohan. 3 Ephe. 1. Rom. 5.

Sunt item omnes qui non credunt in filium, ad omne opus bonum reprobi, cum sint sine pœnitentia & fide, Impossibile enim est sine fide placere Deo, & quicquid non fit ex fide, peccatum est, Quia per hunc pontificem solum offerimus hostias spirituales acceptabiles Deo. Omnes igitur aliæ hostiæ, omnia alia opera quantumuis sint magnifica & speciosa, extra Christum oblata, sunt abominabilia & reproba, & sunt non suauis odor, sed dirus fœtor Deo. Reprobi ad omne opus bonum. Heb. 11. Rom. 14. 1. Pet. 2.

Psal. 31. Quæ sint necessaria ad agnitionem Dei.

Confiteri igitur se nosse Deum, est,

1. Agnitio & Confessio peccati.

PRIMVM cum Propheta Dauide, agnoscere Deum arguentem omnes peccati, & uocantem omnes ad pœnitentiam, & dicere.

Delictum meum cognitum tibi feci, & iniusticiam meam non abscondi, Dixi confitebor transgressiones meas Domino &c. Hoc CONFITEOR oportet primum præcedere.

2. Agnitio & fiducia misericordiæ.

DEINDE necesse est, ubi agnoueris & confessus fueris peccatum, sic Deum nosse, quòd propter filium mediatorem oblatum & intercedentem uelit remittere peccata, te recipere & saluare. Nam Deum nosse sine Filio, nemo potest, Hæc est enim uita æterna, ut cognoscant te solum Deum uerum, & quem misisti Iesum Christum, inquit Christus ipse Iohan: 17. Et Deum nemo uidit unquam, unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.

Iohan. 1

3. Vitæ nouitas.

POSTREMVM necesse est sic confiteri, te nosse Deum, ne facta & opera contraria sint notitiæ & professioni seu confessioni, Sed ut dignos pœnitentiæ & iusticiæ fructus, & conuenientes professioni facias, militès bonam militiam, habens fidem & bonam

bonam conſcientiam, & in ea perſeueres uſq; in finem uitæ. Non enim qui cœpit, ſed beatus eſt, qui perſeuerauerit uſq; in finem.

Nam qui confitentur ſe noſſe Deum, Item qui fidem, quæ Dei notitia, & fiducia miſericordiæ diuinæ propter Chriſtum promiſſæ eſt, iactant. Item, Quia clamant, Domine, Domine &c. factis uerò ſeu operibus Dominum negant, cum uel corda intus ſint ſine fide, timore, amore Dei, plena contemptu Dei, plena odio, ira, cupiditate uindictæ, accenſa flammis libidinum &c. & ita inquinatæ ſint eorum & mens & conſcientia, Vel etiam externa facta contraria ſint confeſſioni Dei, his omnibus cum ſint abominabiles Deo, confitebitur econtra Filius Dei in die illo, Nunquam noui uos, Diſcedite à me qui operamini iniquitatem, Non enim ſatis eſt audire ſermones Chriſti, ſed neceſſe eſt & facere, ſicut ibidem dicit Chriſtus, Omnis qui audit ex me ſermones hos, & facit eos, aſſimilabo illum uiro prudenti &c. Oportet enim facta & opera noſtra reſpondere ſermonibus Chriſti & profeſſioni noſtræ, neq; eſſe contraria.

Factis negantes Deum.

Matth. 5

Matth. 7.

Ita grauiſſima & ſæueriſſima obiurgatione reprehendit & taxat omnes hypocritas

Taxantur hypocritæ.

eritas & Pseudodoctores, & eos qui ex circumcisione sunt, legem & eius opera contra doctrinam Euangelij iactantes, & tamen contraria legi & ipsorum professioni facientes, & omnes alios falsos doctores, uaniloquos & seductores, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia, ex pietate questum facientes, quales hoc tempore plurimi in quorundam Regum, Principum & Episcoporum aulis sunt, qui profitentur se nosse Deum, & uere etiam norunt, & tamen operibus negant, cum agnitam ueritatem auersentur & persequantur, & Idola ac fabulas Papisticas Iudaicis fabulis similes, item mandata & traditiones hominum, neglectis, abiectis ac proculcatis mandatis DEI, defendant ac stabiliant, turpis lucri & ambitionis gratia, Quales Cretenses mendaces, malæ bestiæ, uentres pigri, canes aulici uenantes canonicatus, Episcopatus, Abbatias, Præposituras &c. sunt Staphylus, Canisius & alij &c.

Hos cum inquinatæ sint eorum mens & conscientia, uult nos cauere, & est plane talis obiurgatio & admonitio, qualis illa Christi Matth. 7. Cauete uobis à Pseudoprophetis, qui ueniunt ad uos in uestitu ouium, sed

sed intrinsecus sunt lupi rapaces. A fructibus ipsorum agnoscetis eos &c. Item, Matth. 16. Videte & cauete à fermento Phariseorum ac Saduceorum. Item, Act: 20. Attendite uobis & cuncto gregi &c.

Proposita uerò hic est Regula generalis tam ministris, quam omnibus auditoribus uerbi, Ne, cum profiteantur se nosse Deum, factis seu operibus negent, Ne opera sint contraria professioni.

CAPVT II.

VBi in primo capite *præcepta quæ ad gubernationem Ecclesiasticam pertinent, de constituendis presbyteris & eorum moribus, & de doctrina Ecclesiæ & de fugiendis Pseudodoctoribus absoluit, subijcit iam in hoc secundo capite præcepta, quæ ad gubernationem Oeconomicam necessaria sunt.*

Præcepta Oeconomica.

Vtitur autem hic iterum Antithesi seu collatione, cum inquit:

Tu uero loquere quæ decent sanam doctrinam.

Quasi dicat, Pseudodoctores, inobedientes, uaniloqui & seductores, turpis lucri gratia, loquuntur & docent quæ non oportet, fabulas Iudaicas & mandata hominum. Tu autem loquere, *quæ decent* sanam doctrinam, *non corruptam Iudaicis fabulis, aut traditionibus humanis.*

Hæc uerò sana doctrina est, ut:

SENES. Senes ut sint sobrij, νηφαλίους,

Sobrij. *νηφάλιοι græcis significat & sobrium & uigi-*

vigilantem & castum esse, & græci νηφάλια festa uocabant, quæ sine uino celebrabantur. Vult igitur senes, ut plerumq; solent, non esse bibaces, unde aquilæ senectus dicitur, non uinosos sed sobrios, ut aliorum mores sua sapientia, consilio & autoritate regere possint, & turpe est uidere senem ebrium.

Sint itaq; sobrij, ut suo exemplo iuuentuti præluceant. Sint item uigilantes, non multo somno dediti, solliciti pro Ecclesia, Oeconomia & Republica, sint item casti. Vt enim omni etati turpis est luxuria, ita senectuti fœdissima est, si autem ut inquit Cicero, & libidinum intemperantia accesserit, duplex malum est, quòd & ipsa senectus concipit dedecus, & facit adolescentium impudentiorem intemperantiam.

Σεμνούς.

Seueros, unde σεμνοὶ λόγοι honorifici sermones. Seueros

Requirit igitur in senibus Paulus grauitatem, uerecundiam, sæueritatem in dictis & factis senum, ne sint scurriles, leues, impudici, obscæni, stultiloqui, ne quid sit quod canos dedecoret, quòd offensionem iuuenituti prebeat, sed ut omnia, quæ in sene conspi-

eiuntur, sint uirtutis signa, & ad eandem iuuenuti exempla.

Σώφρονας.

3 Prudentes. Prudentes appellauit σώφρονας παρὰ τὸ σώας ἔχειν τὰς φρένας. Id est, temperatos, sobrios, eo quòd saluas et incolumes mentes habeant. Huic opponitur ἄφρων ἀκόλαστος & ὑβρίστης. Vult igitur senes habere mentes sanas, non turbatas iracundia, odio, cupiditate uindictæ, auaritia, ambitione aut alijs prauis affectibus.

Ὑγιαίνοντας τῇ πίστει.

4 Sani in fide. Sanos in fide, non admittentes corruptelas doctrinæ, & falsas opiniones, ut sunt quidam senes, qui ut pueri fluctuant & circumferuntur quouis uento doctrinæ per uersutiam hominum, per astutiam, qua alios adoriuntur, ut imponant eis, &c.

Ephes. 4.

τῇ ἀγάπῃ. In dilectione.

5 Sani in dilectione. Qui sanus in fide est, idem etiam sanus erit in dilectione, fidei fructu, eius dilectio erit ex puro corde & conscientia bona, & fide non simulata, quæ finis & summa præcepti est. Et talis non diliget uerbo neq; lingua, ut diligere solent, qui non sunt

1. Timoth 1.

sani

sani in fide, sed diliget opere & ueritate. Di- 1. Iohan. 3
ligant igitur senes iuuenes tanquam Filios, & uicissim iuuenes senes, tanquam Patres suos. Et dulcis Callimachi sententia est:

γηράσκει δ' ὁ γεραιὸς κεἶνος ἐλαφρότερον
ἤπερ τὸν φιλέοσι νέοι δ' ἐμιν, οἷα τοκῆα
χερσὶ ἐπ' οἰκείην ἀγχις ἄγουσι θύρην.

Multo leuius senex ille senescit
Quem adolescentes amant: & iuuenes
ipsum ueluti Patrem.
Manibus deducunt ad propriũ usq; limen.

Sani autem in dilectione non diligunt hypocritice, sed uerò corde, ut dictum est, & talis charitas ex corde fide purificato, est patiens, benigna, non inuidet, non est procax, non inflatur, & magnum pulcherrimarum uirtutum tanquam pediſſequarum chorum secum ducit & trahit, quæ 1. Cor. 13. enumerantur.

In patientia.

6 In patientia.

VVlt senes esse sanos, primum in fide non falsis opinionibus corruptos. Deinde in dilectione non simulata, sed uera, iuxta preceptum: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Postremo in patientia, Qui enim in prioribus duobus fide & dilectione sanus

ſanus erit, ſanus erit & in patientia, quæ maxime in tentationibus probatur, Præcipue uerò ſenibus patientia opus eſt, qui & uarijs morborum generibus & innumerabilibus incommodis & ærumnis obruuntur, quiq; per ſeſe ætatis uitio & imbecillitate animi ac corporis ſunt moroſi, iracundi, præcipites in iram, Multi etiam ſuſpicaces, & alijs uicijs obnoxij. Proponant igitur ſenes, ſibi hæc dicta: In ſilentio & ſpe erit fortitudo ueſtra. Pſal. 37. *Item, Subditus eſto Domino & ora eum, Item,* Heb. 10. *Ne abiecceritis fiduciam ueſtram, quæ magnam habet premij retributionem. Nam patientia uobis opus eſt, ut ubi uoluntatem Dei peregeritis, reportetis promiſſionem. Item,* Rom. 5. *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio uero ſpem.*

Anus ſimiliter in habitu ſancto.

ANVS. 1. Habitus.

ID eſt, in habitu, qui decet ſanctas matronas, Neq; enim decet anus, ut puellas quindecim annorum incedere ornatas, Et uox græca qua hic utitur ἐν καταστήματι *non modo ueſtitum & ornatum, ſed & inceſſum & motum corporis, uultum, ſermonem, ſilentium, & quandam decoris ſacri*

Inceſſus. Vultus.

dignitatem

dignitatem comprehendit. Ita omnem leuitatem & ſcurrilitatem in matronis uult abeſſe.

Μὴ διαβόλους.

Non criminatrices, quòd uicium proprium mulierum eſt. Solent enim criminari & calumniari alias, excitare odia, diſſenſiones ſuis obtrectationibus. 2 Sermo.

Non multo uino ſeruientes.

Creta enim uini optimi feraciſſima eſt, ideo & anus magis bibaces & uino ſeruientes erant, Nullum autem obſcœnius ſpectaculum eſt, quam uidere mulierem ebriam, Ideo Rhomæ ſtatutum fuit, ut mulieres eſſent abſtemiæ. 3 Sobrietas.

καλοδιδασκάλους.

Vt honeſta doceant, uerbo ſcilicet & exemplo, ut ſint inſtructæ & aptæ ad docendum, non enim ebria, honeſta docebit. 4 Doctrices honeſtatis.

ἵνα σωφρονίζωσι τὰς νέας.

Vt modeſtas & ſobrias ac prudentes reddant adoleſcentulas, ne ſint laſciuæ, procaces, ADOLESCENTVLAE quales.

caces, ſumptuoſæ, petulantes, garrulæ, ocioſæ curioſæ, loquentes quæ non oportet.

1 φιλανδρους. Φιλάνδρους εἶναι, Vt uiros ſuos ament.

Non ſua petulantia ſuos maritos offendant, non ſua procacitate ad iram concitent, quæ norint interdum cedere maritis, & ferre eorum imbecillitatem, moroſitatem, & alia uitia, qualia plurima ſunt inter conuuges.

2 φιλοτεκνους Φιλοτέκνους.

Sunt enim quædam, quæ propter petulantiam etiam liberos & familiam ac maritos negligunt nec curant, magis φιλήδονοι ἢ φίλανδροι καὶ φιλότεκνοι.

Σώφρονας.

3 Modeſtæ. Modeſtas, prudentes, quarum mentes non ſint corruptæ uarijs cupiditatibus, luxus, ornatus, ſed occupatæ in rebus pijs, honeſtis & œconomicis, Item, ne ſint imperioſæ, iracundæ. Nam σωφροσυνη uirtus, multas alias complectitur.

ἁγνάς.

4 Caſtæ. Caſtas in uerbis, geſtibus, motibus, ornatu coram omnibus, & maxime coram

eorum familia, seruantes fidem coniugalem, non pollutæ adulteriis aut libidinibus.

οἰκουρούς.

Curantes rem domesticam, simul etiam domi se continentes, non ociosæ circumeuntes domos, & interea rem domesticam negligentes, quales multæ sunt. 5 Domesticæ. 1. Timot. 5.

ἀγαθὰς benignas.

Benignas, non erga maritos & familiam acerbas, superbas, qua acerbitate linguæ, maritus & familia offensi eam odisse incipiant. 6 Benignæ.

ὑποτασσομένας τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν. 7 Obedientes maritis. 1. Timoth. 2 Ephes. 5

Subditas suis uiris, non imperiosas, non usurpantes autoritatem in uiros, non responsatrices.

Vt non blasphemetur uerbum Dei.

Hic addit rationem superiorum præceptorum, quòd enim in moribus uitium conspicitur, mox tribuitur doctrinæ & uerbo Dei, unde nomen Domini blasphematur, quasi Deus & eius uerbum sint causæ efficientes talium peccatorum, cum Deus in uerbo suo talia prohibeat, Non enim Deus uolens iniquitatē est, sed eam prohibens Ratio.

hibens execrans, & puniens, tum in hac, tum in altera uita.

ADOLESCENTES QVALES.

Adoleſcentes ſimiliter hortare σωφρονεῖν ut ſobrij ſint.

PAulus multum & ſæpe hoc uerbo σωφρονεῖν utitur, quòd ſupra oſtendimus, ſignificare ſanam non ſtultis affectibus & concupiſcentijs ueluti flammis libidinum, uoluptatum, ambitionis, odij & ſimilibus mentem uitiatam & corruptam habere. Germani uocant vernünfftig ſein / mit vernunfft handeln / nicht frech vnd wilt ſein. Contumaces enim, præfracti, inobedientes, ruentes pro ſua libidine cum contemptu Dei, parentum, præceptorum, magiſtratus & omnium hominum, in omnia ſcelera, non ſunt σώφρονες, non habent ſanas mentes, ſed ſunt ἄφρονες ſine mente, ſunt ſicut equus & mulus in quibus non eſt intellectus, Sie Phrenten nicht / vt Saxones loquuntur, Sind nicht bey vernunfft / qualis ἄφρονες & effrenes adoleſcentes plurimi hoc ſeculo ſunt, qui quo eos cæca libido rapit, feruntur, Non audiunt mentem rectricem & frena imijcientem, ſi ruptis omnibus naturæ & legum uinculis, ruunt præcipites in ſuum ipſorum exitium,

capti

tepti laqueis Diaboli ad eius uoluntatem, 2. Timoth. 2.

περὶ πάντα σεαυτὸν παρεχόμενος τύπον καλῶν ἔργων.

CIrca omnia teipsum exhibens Exemplum bonorum operum. Vult Paulus Titum Cretæ Episcopum non modo docere, quid in œconomia quemq; deceat, seues nempe, Anus, Mulieres iuuenculas, Adolescentes; sed ita sese quoq; gerere, ut in uirtutibus omnibus, quas supra recensuit, sobrietate, grauitate, modestia &c. toti Ecclesiæ sit τύπος, forma seu Exemplum, ad quam formam uirtutum & bonorum operum tota Ecclesia se componere possit, ut quid in aliis Ecclesiæ membris desideratur, reperiatur in Episcopo seu pastore & ministro uerbi, ut suo Exemplo præeat & præluceat toti gregi, sicuti & 1. Pet. 5. scriptum est: Pascite sic gregem Christi, ut sitis τύποι exemplaria gregis. Quia Episcopus seu pastor est (ut sic loquar) tanquam spectaculum totius Ecclesiæ, ad cuius doctrinam & mores tota Ecclesia sese conformare solet, Hinc prouerbio dicitur, Qualis sacerdos, talis populus. Eodem modo præcipit Timotheo 1.

Episcopus sit τύπος bonorum operum.

Timot. 4. Esto forma fidelium in sermone, in conuersatione, in dilectione, in spiritu, in fide, in puritate &c.

Sed cum hoc tempore multi rabiosi homines, etiam Pastores & Doctores Ecclesiæ uociferentur, bona opera non esse necessaria, rariores etiam τύποι καλῶν ἔργων frequentiores uerò κακῶν ἔργων, & in illis ipsis & in suis auditoribus conspiciuntur.

Ἐν τῇ διδασκαλίᾳ ἀδιαφθορίαν.

In quibus debeat esse τύπος Episcopus seu Pastor.

NOn modo uult esse τύπον superiorum uirtutum & bonorum operum, quibus Senes, Anus, Adolescentulæ & iuuenes ornati esse debent, sed ut in sua uocatione & ministerio sic se gerat, ut sit παρεχόμενος, id est, ut in ministerio seu docendo exhibeat seu proponat conspiciendam & considerandam incorruptionem, sinceritatem, & integritatem, hoc est, ut sit etiam τύπος & Exemplar Pastoris seu Episcopi sonantis ueram, sinceram, incorruptam & integram doctrinam Christi, Non uitiatam turpis lucri gratia, aut ambitionis causa traditionibus humanis, Sicuti de sese 2. Cor: 2. scribit. Non sumus ut plerique caupanantes sermonem Dei, sed uelut ex sinceritate, sed uelut ex Deo, in conspectu Dei per Christum loquimur.

ἀφθορία Incorruptio in doctrina.

Hieronymus

Hieronymus admirator & prædicator virginitatis nimis magnus, interpretatur de virginitate seruanda Tito, sed an uirgo aut coniunx fuerit Titus, incertum est, uerisimile autem est fuisse maritum, iuxta præceptum Pauli, Episcopus unius uxoris uir sit, qui fideles habeat fideles.

Vult igitur, ut Titus se exhibeat τύπον in tradenda doctrina sincera & incorrupta quod primum & præcipuum munus Episcopi est.

Σεμνότητα.

Grauitatem, Vult Episcopum in docendo non esse garrulum, futilem, captantem fabulas, iocum, risum, ut placeat vulgo, quales multi sunt passim hoc tempore, sed grauem cum docet, tum in sermone, tum in gestu & motu corporis, pro ut res cœlestes & æternæ, de quibus dicit & docet, postulant. Annunciantur enim ea in quæ Angeli 1. Pet. 1 prospicere desiderant, quos & Deum ipsum præsentem, reuereri decet Episcopum seu Pastorem docentem in Ecclesia, ut omnem leuitatem & futilitatem uitet, & in docendo præsert grauitatem, sicut de Christo Matthæus cap. 7. refert: Obstupuerunt turbæ super doctrina illius. Docebat enim eos 2 Grauitas in doctrina.

uelut habens autoritatem, & non sicut scribæ.

ἀφθαρσίαν.

3 Incorruptibilitas in doctrina.

Tertium bonum opus quod in doctrina Episcopum seu pastorem præbere uult, est incorruptibilitas, seu immortalitas. Nempe ut id uerbum doceat, quòd uerbum uitæ æternæ & immortalitatis est, cui credentes, sunt immortales & incorruptibiles, de quo Iohan. 5. sic inquit Christus: Amen, amen dico uobis qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam, & in condemnationem non uenit, sed transiit à morte in uitam. Item, Iohan. 8. Amen amen dico uobis, Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum. Sic 1. Petri 1. dicitur: Renati non ex semine mortali, sed ex ἀφθάρτου immortali, per uerbum uiuentis Dei, & manentis in æternum. Item Esaiæ 40. Exiccatum est fœnum, & cecidit flos, uerbum autem Domini manet in æternum, hoc autem est uerbum, quòd Euangelizatum est in uos, inquit Petrus, quòd & Paulus hoc loco uult Euangelizari, afferens incorruptionem & immortalitatem, non hominum traditiones aut fabulas & Geneologias Iudaicas, aut sanctorum legendas & Monachorum

Monachorum somnia, qui sermones & doctrinæ sunt corruptibiles & mortales, nec vitæ æternæ uiuificant, ut sermo Dei viuentis. Sic quoq; supra 2. Timot. 1. inquit: Qui mortem aboleuit, uitam autem in lucem produxit, διὰ ἀφθαρσίαν immortalitatem seu incorruptionem per Euangelium. Et 1. Pet. 1. Regenuit nos in spem uiuam, in hæreditatem ἄφθαρτον immortalem.

λόγον ὑγιῆ. Verbum sanum.

Quartum bonum opus, quòd in docendo præstare debet Episcopus seu pastor, est sermo sanus, non insipsos νοσερός, morbosus, insalubris, ut sunt sermones seu doctrinæ humanæ, aut Iudaicæ fabulæ & traditiones de obseruatione ciborum, festorum, Sabbatorum, Item traditiones monasticæ, qui cum per se sint morbosi, non possunt animæ morbos & uulnera curare & sanare, de quibus & supra 2. Timoth. 2. inquit: Sermo illorum ut cancer morbus pastionem habet. 4 Sermo sanus in doctrina.

ἀκατάγνωστον irreprehensibilem.

Idest qui iure reprehendi & condemnari non possit. Nam ut calumnias & Sermo irreprehensibilis.

iniustos reprehensiones omnes uitemus, impossibile est. Proprium autem hoc uerbi Christi est, ut habeat contradicentes, sicuti Lucæ 2. inquit Simeon, Hic positus est in signum, cui contradicitur. Contradicant igitur, reprehendant & condemnent quantum & quamdiu uelint maleuoli homines, & ij, qui ex aduerso sunt, modo non uerè & iure contradicant, quia qui falso reprehenduntur, ij luce ueritatis conuicti, suffunduntur tandem rubore, nihil habentes, quod de nobis dicant mali.

Seruos hortare, ut suis Dominis pareant, in omnibus illis placeant, non responsatores.

SERVI. POsteaquam in œconomia instituit, senes, Anus, adolescentulas, iuuenes, postremum uenit & ad Seruos, qui in œconomia infimum & postremum locum tenent, quibus non minus quam superioribus omnibus uitæ præcepta tradit, Cum non minus serui quam uel senes, uel

sed iuuenes Domini, sanguine Christi redempti sint, & ad regnum Dei pertineant. Nam in Christo Iesu non est Iudæus neq; Græcus, non est Seruus, neq; liber, nec personarum receptio.

Obseruandus autem hic locus communis est, contra humanas & monachorum traditiones, nihil hic à Paulo de uita Monastica, nihil hic de ieiunio, nihil hic de cibis, uestibus, uigilijs, peregrinationibus, prolixis precationibus, & alijs nugis precipit, Sed uelle Paulum quemq; manere in sua uocatione, & in ea, in fide & inuocatione Dei fideliter seruire Deo, & facere suæ uocationis operas, senes & anus regere iuniores, liberos & familiam, Seruos in sua uocatione obedire Dominis. Hæc enim sunt opera in Decalogo diuinitus præcepta, alia, de quibus supra dictum est, sunt mandata hominum, quibus frustra colitur Deus.

Locus communis non humana sed diuina præcepta tradit a Paulo.

Discamus igitur pluris facere Dei, quam hominum mandata, & Deum colere, non hominum sed ipsius mandatis, Sicuti Ezech: 20. præceptum est, In præceptis Patrum uestrorum

Qui sit cultus Dei.

rum nolite incedere, nec iudicia eorum custodiatis, nec in idolis eorum polluamini, ego Dominus Deus uester. In præceptis meis ambulate & iudicia mea custodite, & facite ea.

Sæpè autem hoc præceptum de seruis repetitur in scriptis Apostolicis, ut Ephe. 6. Coloss. 3. 1. Petri 2.

Quæ ad obedientiam seruos inuitare debeant.

Debet uerò seruos ad obedientiam erga Dominos hortari.

PRIMVM, mandatum Dei, toties in scriptura repetitum.

SECVNDO, quòd non tam Dominis suis carnalibus, quam ipsi Christo Domino seruiant, Ideo etiam ex animo cum beneuolentia, & cum timore ac tremore & simplicitate cordis, & non ad oculum seruire debent timentes Deum.

Ephes: 6
Coloss: 3

TERTIO, præmium bonis seruis à Domino promissum, Sicuti Coloss. 3. inquit: Quicquid feceritis, ex animo facite, tanquam Domino, & non hominibus, scientes quod à Domino recipietis mercedem hæreditatis. Nam Domino Christo seruitis &c.

QVARTO, ut per ipsorum obedientiam erga Dominos suos, ornetur doctrina Christi,

Christi, quæ alioqui blasphemaretur, si forent inobedientes.

In omnibus illis placeant.

IDest, omnia quæ uolunt & iubent Domini, quæq; pia & iusta sunt, sine ulla exceptione faciant, talis seruus Ioseph captiuus fuit, in omnibus studens, ut suo Domino placeret.

Μὴ ἀντιλέγοντας.

HOc proprium malorum seruorum uitium est, ut contradicant heris, & sint responsatores, talis ancilla fuit Agar, quæ iubetur se humiliare sub manu heræ suæ.

Μὴ νοσφιζομένους.

NOn aliquid decerpentes, ac furtim detrahentes, cum totum auferre nequeas, quales plurimi serui sunt.

Sed in omnibus fidem bonam ostendentes.

FIdes bona significat hic fidelitatem iuxta dictum Pauli: Illud requiritur in dispensatoribus, ut fidelis quis inueniatur μὴ νοσφιζόμενος & non furtim aliquid decerpens. Talis fidelis seruus fuit Iacob. 1. Cor. 4

Vt doctrinam Saluatoris nostri Dei ornent in omnibus.

Causa obedientiæ seruorum.

HIc in fine subijcit causam, cur Domini parere debeant serui, nempe ut ipsorum obedientia ornetur doctrina Saluatoris nostri Dei Iesu Christi in omnibus, ut cum qui extra Ecclesiam sunt, uident obedientiam piorum seruorum, incipiant amare & prædicare doctrinam Christi talis obedientiæ effectricem, sicuti & Christus Matth. 5. inquit: Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona opera, glorificentq; Patrem uestrum qui est in cœlis, Et Deut: 4. scriptum est: Hæc est uestra sapientia & intellectus coram populis, ut audientes uniuersi præcepta hæc dicant. En populus sapiens & intelligens, gens magna &c.

Obedientia præcepta quo modo.

Præcipitur uerò obedientia, non ut propter hanc simus iusti & uitæ æternæ heredes, tanquam ex merito, sed ut hoc modo ornetur doctrina fidei, per quam credentibus offertur gratis sine ullo opere & merito, propter solius Christi obedientiam & meritum

tum, remissio peccatorum, iustificatio, reconciliatio, donatio Spiritus sancti, & uitæ æternæ hæreditas, Rom: 5. Per obedientiam unius, iusti constituentur multi. Rom: 6. Donum Dei, uita æterna, per Christum Iesum Dominum nostrum. Ideo sequitur in textu.

Apparuit enim gratia DEI salutaris omnibus hominibus.

Ἐπεφάνη illuxit, manifestata est, Satis uero apparet hanc Epistolam, non tam doctrinam fidei, quam bonorum operum complecti, & tamen, quia necesse est fidem tanquam solem bonorum operum radios de sese gignentem, omnibus bonis operibus præluceat, ut prius credas te per Christum redemptũ, & gratis sine tuis operibus & meritis iustificatum, & saluatum, quam aliquid boni operis facias, Ideo hic in fine huius capitis doctrinæ bonorum operum fidei doctrinam coniungit, cum nullum opus possit esse bonum, & placere Deo sine fide, fiducia misericordiæ & notitia Saluatoris Domini nostri Iesu Christi. Doctrina fidei.

Illuxerat

Gratia illucescens in Creta insula.

Illuxerat & apparuerat iam antea gratia salutifera uox Euangelij de redemptione & reconciliatione humani generis per Christum facta, in tota insula Creta omnibus senibus, anubus, mulierculis, adolescentulis, iuuenibus, Dominis & seruus per ministerium Pauli, ita ut iam scirent, se esse iustos & saluos sola Fide, gratis sine suis operibus & meritis propter Christum pontificem pro ipsis oblatum & intercedentem.

Gratia lucens coram hominibus,

Hæc gratia in ipsorum cordibus per Pauli ministerium accensa iam lucebat, quam gratiam Paulus uult per opera bona ad ædificationem aliorum, & glorificandum Deum & ad ornandam doctrinam Christi etiam coram hominibus lucere, iuxta dictum Christi: Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & Patrem uestrum qui in cœlis est, glorificent.

Quibus præcepta bonorum operum tradat Paulus.

Tradit igitur hic præcepta bonorum operum ijs, qui iam Christum cognouerant, qui sola Fide iustificati & salui erant. Nam Paulum antea in Creta docuisse, ostendunt hæc eius uerba. Huius rei gratia re-

liqui

liqui te in Creta, ut quę desunt corrigas.

OStendit autem quę sit præcipua causa, quæ nos ad bene operandum hortari debet, patefactio nempe seu illuminatio Euangelij, quæ partim iam facta sit nece Apostolorum, partim quoq; adhuc fieri debeat per alios Ministros & ἀναδόχους Euangelij illucescentis & illuminantis omnem hominem sedentem in tenebris & in umbra mortis. Præcipua causa bonorum operum.

Apparuit enim & illuxit Gratia Dei, sax & lux Euangelij omnibus hominibus senibus, Anubus, Adolescentulis, Iuuenibus & Senis, erudiens nos, non ut simus ebrij, impudici, & maneamus in impietate & secularibus desiderijs, sed ut abnegantes impietatem & secularia desideria, sobrie, & iuste & pie viuamus in hoc seculo, sicuti plurimi omnibus seculis fuerunt, sunt & erunt, qui gratia Dei nece scilicet Euangelij sic abutuntur, ut putent sibi licentiam omnium scelerum hac doctrina de gratuita remissione peccatorum propter Christum, quæ fide accipienda est, concedi & feneſtram aperiri, hinc fit, ut multi fiant ebrij, impudici &c. Anus criminatrices, Abusus Gratiæ illucescentis.

matrites, seruientes uino. Adolescentulæ petulantes, lasciuæ, negligentes maritos & liberos, iuuenes immodesti. Item Episcopi & pastores exemplum malorum operum in doctrina, quam plerique corrumpunt, nec sinceram tradunt, & suo exemplo malo, Ecclesiam destruunt, quam ædificare debebant, ita & inobedientes serui, contradicentes Dominis, furtim decerpentes, dedecori sint doctrinæ Saluatoris nostri Dei, quam omnes uitæ innocentia ornare debebant.

Hæc ne fiant, sed ut contraria, quæ supra dicta sunt, fiant, ideo apparuit gratia Dei salutifera omnibus hominibus.

Apparuit seu illuxit.

Marci ultimo. IVxta mandatum Christi. Ite in orbem uniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Item, In

Psal. 19. omnem terram exiuit sonus eorum.

Gratia DEI salutaris omnibus hominibus.

Hæc

HÆc gratia est uox Euangelij, afferens & offerens omnibus hominibus ex gratuita gratia & misericordia Dei, sine ullo oper- & merito nostro, redemptionem, reconciliationem, remissionem peccatorum, iusticiam, donationem spiritus sancti, salutis & uitæ æternæ, Vnde verbum & salutaris seu salutifera, & potentia Dei ad salutem omni credenti dicitur, Rom. 1. sicut hic inquit: Salutaris omnibus hominibus, id est, omnium ordinum & statuum hominibus, senibus & adolescentibus, seruis ac dominis, uiris & mulieribus, Græcis & Iudæis.

Gratia quid hoc loco sit.

Cogita autem quanta bonitas Dei sit, qui solem suum sinit oriri super malos ac bonos, & pluuiam mittit super iustos & iniustos, ita & hanc gratiam suam salutiferam sinit illucescere omnibus hominibus, malis ac bonis, iustis & iniustis, sicut Rom. 5. dicitur: Commendat suam caritatem erga nos Deus, quod cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus fuit &c.

Quanta sit bonitas Dei erga omnes homines. Matth. 5

erudiens nos.

Eru-

Erudiens.

ERudiens nos ut pueri à primis annis eruditi solent, unde significat in ijs, quibus Euangelij uox ignota est, nullam ueri Dei noticiam esse, etiamsi sint sapientissimi & eruditissimi senes. Animalis enim homo non

1. Cor. 2

percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, Ideo necesse est etiam senes alioqui sapientes & eruditos, uoce & ministerio Euangelij tanquam pueros erudiri, ut uerum Deum & quem misit Dominum Iesum Christum cognoscant, & colere ac inuocare possint. Commendatur igitur nobis hac uoce παιδεύσεως ministerium uerbi uocale, per quod erudimur ut

Commendatio ministerij uocalis.

2. Petri 1.

pueri, donec dies illucescat, & Lucifer exoriatur in cordibus nostris, & perueniamus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in uirum perfectum, in mensuram etatis, plenæ adultæ Christi, ut non amplius simus pueri.

Ephes. 4.

Hæc uero gratia uox Euangelij solet erudit nos ad salutem & uitam æternam. Quia Lex per Moscn data est, gratia & ueritas per Iesum Christum exorta est. Scitur erudimur uoce Euangelij? num ut in impietate & secularibus desiderijs maneamus & perseueremus? minime, sed.

Cur erudiamur.

VI

Vt abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobriè & iuſtè & piè uiuamus in hoc Seculo.

VBi gratia Dei, uox Euangelij non illuxit, ibi meræ ſunt tenebræ, ibi regnat impietas, ignoratio ueri Dei, contemptus & odium Dei, idolatria, fiducia propriæ iuſtitiæ, ſapientiæ, potentiæ, impatientia iracundiæ, ambitio, ſuperbia, & reliqua impietatis opera, pugnantia cum prima Tabula. Vbi regnet impietas & ſecularia deſideria,

Regnant & ſecularia deſideria pugnantia cum lege Dei, & cum ſecunda Tabula, ut ſunt cupiditas opum, potentiæ, incendia libidinum, odij, uindictæ & ſimilia mala, carnis opera, Ideo præcipit Paulus, ne peccatum regnet in mortali corpore noſtro, ut obediamus illi per cupiditates eius. Vbi uero gratia Dei ſalutifera in corde bono & fideli accenſa eſt, & per fidem in corde habitat Chriſtus, ibi eruuntur mentes ut abnegent impietatem, & ſecularia deſideria, & ut carnem crucifigant cum affectibus & concupiſcentijs. Rom. 6 Galat. 5

Sobriè & iuſtè & piè uiuamus in præſenti ſeculo.

Tres partes uitæ conuersorum

DIuidit Paulus uitam conuersoram ad Christum & renatorum in tres partes, in sobrietatem, iustitiam & pietatem.

Qui homines & quando sobrie uiuant.

Primum sobrie uiuunt, quorũ mẽtes uoce Euangelij illuminatæ, credentes ei uoci et Christo habitante in eis, & effundente in ipsas Spiritum sanctum suum, sunt σώου saluæ, fide purificatæ per Christum, & regeneratæ ac renouatæ per Spiritũ sanctum, & tum primum homines, sic fide iustificati & renouati incipiunt abnegata impietate & desiderijs secularibus σωφρόνως uiuere, & fructus Spiritus producere, sic saluis & sanatis mentibus accensa uera noticia Dei, & fiducia misericordiæ propter Christum, Spiritu sancto iam eos regente & gubernante, non desiderijs carnalibus regnantibus, quæ mortificare Spiritu renati incipiunt, cum tales spiritu Dei ducantur, & sint Filij Dei.

Gal. 5

Rom. 8

At aliorum φρένες uoce Euangelij non illuminatæ, nec Christo in ipsorum cordibus per fidem habitante, nec effundente Spiritum sanctũ suum in corda, non abnegata impietate & cupiscentijs carnalibus, faciunt opera carnis,

Gal. 5

Viuunt

viuunt ἄφρονες sine mente, iniuste & impie.

Ita primus effectus gratiæ Euangelij lucescentis & illuminantis corda, est σωφροσύνη uirtutum omnium pulcherrima, mens sana, seu cor sanum fide purificatum, Rectori Spiritui sancto obediens, & peccatum in carne mortificans ne regnet, quæ uirtus ubi est, ibi sequitur chorus reliquarum uirtutum, dilectio, timor Dei, humilitas, comitas, benignitas &c.

Alia enim est σωφροσύνη piorum uerum Deum agnoscentium & inuocantium, & per Spiritum sanctum renatorum, & alia σωφροσύνη Philosophica, hominum non agnoscentium, nec inuocantium uerum Deum, nec renatorum per Spiritum sanctum, quæ non Spiritu sancto, sed non sanata mente & ratione regitur. Duplex σωφροσύνη

Ita gratia seu uox Euangelij erudit primum nos, quales φρένες mentes nostras, fontes omnium cogitationum, consiliorum et actionum nostrarum, saluæ nempe & uoce Euangelij sanatæ & illuminatæ luce & noticia ueri Dei esse debeant, ad quam lucem accedit Rector mentium Spiritus sanctus.

φρένες quid sint. Lib. 3. de partibus animi.

φρένες enim Diaphragma aut septum transuersum significant, Et Aristoteles ait, φρένες καλουνται ὡς μετέχουσαί τι τὸ φρονεῖν, Præcordia uocantur, quasi sint participia prudentiæ. Inde φρὴν mens.

ἡ δικαίως.

2 Iuste uiuere.

SEcundus effectus illucescentis & illuminatis Euangelij, est, ut iustè uiuas, non modo fide coram Deo iustificatus, sed etiam iustè coram hominibus, & quo ad proximum tribuendo cuiq; quod suum est, nemini nocendo, non defraudando alios, exercendo iustitiam in contractibus, emptionibus, uenditionibus &c. non quærendo πλεονεκτήματα, non exercendo usuras, furta, dolos, malas artes, non mentiendo, custodiendo corpus & bona proximi, exercendo liberalitatem, beneficentiam erga omnes, tam amicos quam inimicos, Breuiter, qui iuxta Psalmi 15. doctrinam ingreditur sine macula, & operatur iustitiam, & loquitur ueritatem in corde suo.

Qui non agit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum, & conuitium non fecit proximo suo, hic uiuit iustè.

Quomodo erga alios uiuendum sit.

Ita Euangelium secundo loco docet, quomodo erga alios uiuendum sit iustè, & multis

multa complectitur hæc uox, omnia nempe præcepta secundæ Tabulæ comprehensa in hoc unico: Diliges proximum tuum sicut te ipsum, Rom. 13. Sequitur autem hæc iustitia bonæ conscientiæ, seu bonorũ operum, iustitiam fidei cum φρένες & corda salua & fide purificata sunt, ideo uocem σωφρόνως Paulus primo loco posuit, fidem intelligens, & hac uoce comprehendens, tanquam fontem & parentem iustitiæ bonæ conscientiæ & bonorum operum.

καὶ σύσεβῶς

TErtius fructus Euangelij est pietas, quæ primæ Tabulæ præcepta complectitur. Comprehendit enim pietas ueri Dei noticiam, fidem, timorem, dilectionem, humilitatem, patientiam in cruce & afflictionibus, inuocationem, propagationem uerbi Dei, celebrationem & confeßionem nominis diuini, gratiarum actionem, & ueram non simulatam obedientiam erga Deum, quæ Deo præstatur in omnibus eius mandatis, Diligere enim Deum, est seruare mandata eius. Pie uiuere. j. Ioh. 5

Complectitur igitur Paulus hic tres fructus præcipuos Euangelij illuminantis corda credentium, quorum primus est, ut obedientes Euangelio uiuant sobriè quo ad sese. Tres fructus Euangelij illucescentis.

Secundus iustè, quo ad proximum.

Tertius piè, quo ad Deum. Ita breuissime & pulcherrime uitam Christianorum, & uerorum membrorum Ecclesiæ complexus est his tribus membris. Addit autem.

In hoc seculo.

Quærat hic aliquis, cur Paulus hæc uerba In præsenti seculo, hic addat, sed Paulus ipse mox subiungit rationem.

Expectantes beatam spem.

In hoc seculo sobriè, iustè & piè, cur uiuendum

NAm nisi in præsenti seculo abnegata impietate & secularibus desiderijs, uoce Euangelij, gratia Dei salutifera illucescente te erudiri patiaris, et ei erudienti obedias, ut sobriè & iustè & piè in hoc seculo uiuas, non poteris hilari & læto animo, ἀφρὼν ἄσοτος ἀκόλασος, mente mota & corrupta, & corde fide non purificato, iniustè & impiè in hoc seculo uiuens, expectare beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, sed ad huius aduentus (in quo redditurus est unicuiq; secundum opera sua) mentionem & auditum, exhorrescens, cum cogitabis omnes nos manifestari oportere coram Tribunali Christi, ut reportet unusquisq; ea, quæ fiunt per cor-

Rom. 2

per corpus iuxta id quod fecit, siue bonum siue malum.

Necesse igitur est, ut in præsenti seculo uiuamus sobrie, iuste & pie, quo lætus expectare possis beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei &c.

Sic & Christus docet, Cauete uobis, ne quando grauentur corda uestra crapula & ebrietate, & curis huius uitæ, subitusq; uobis ingruat dies ille. Tanquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem totius terræ. Vigilate itaq; omni tempore deprecantes, ut licat uobis effugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis. Luc. 21

Beatam spem.

VOcat beatam spem, intelligens sub uoce spei, rem speratam aduentum Christi, uitam beatam & salutem ac lætitiam æternam. At hic dicat aliquis, Quomodo hæc spes BEATA dici potest, cum omnes, qui uolunt pie uiuere in Christo Iesu, persecutionem patiantur? An sic suos beat Christus? Ita sic suos beat. Vult enim in hac uita prius conformes imaginis filij sui fieri, et cum ipso pati, ut postea glorificare possit. Gloriam enim præcedit humilitas, Et in hac uita consortes adflictionum Christi, erunt & consortes illius gloriæ, Et prosunt

adflictiones nobis ad uigilantiam, ut uigilantes expectemus aduenientem Dominum, ne securos & ebrios opprimat Luc: 12. Matth: 24. Hæc spe beata uincemus omnes adflictiones, & hic est portus nauigationis nostræ.

Et aduentum gloriæ magni Dei.

Dvplex est aduentus Filij Dei, Prior contumeliæ & ignominiæ, seu humiliationis, de quo Esaias inquit: Non est species ei neq; decor, & nos putauimus eum quasi leprosum & percussum à Deo & humiliatum &c.

Matth. 24. Luc. 21

Posterior aduentus est aduentus gloriæ seu glorificationis, de quo ipse Filius Dei inquit: Tunc uidebunt Filium hominis uenientem in nubibus cum potestate & gloria magna, de quo aduentu hic loquitur Paulus: Aduenict autem non modo ut qui antea infirmus & plenus ignominia erat, suam Maiestatem & gloriam ostentet Diabolis & toti mundo, sed ut etiam suos liberatos à contumelia & morte glorificet, et uita ac lætitia æterna ornet. Certus enim sermo, si commortui sumus, & conuiuemus, si sufferimus, & conregnabimus, 2. Timo: 2. & Coloss: 3. Quandocunq; Christus manifestatus

status fuerit, uita nostra, tunc & uos cum illo manifestabimini in gloria.

περιφανεια illustrationem gloriæ magni Dei.

Filius Dei consputus, flagellatus, crucifixus, in summa infirmitate & ignominia, tantum abest, ut uideatur Dominus gloriæ & Deus magnus, ut etiam inter sceleratos Latrones tanquam Latronum princeps reputetur, tam contemptus & inglorius est prior aduentus Filij Dei, ad λύτρον.

Sed posterior aduentus Filij Dei ad iudicium uiuorum & mortuorum, talis erit, ut hunc antea consputũ, flagellatum, crucifixum, mortuum, sepultum, & resuscitatum ex morte, omnibus, Diabolis & hominibus, uniuersis manifestum & conspicuum fiat, esse Dominum gloriæ, esse Deum Magnum, uenientem in nube cum potestate & gloria magna Saluatorem piorum.

Vocat uero Dominum nostrum Iesum Christum, Deum magnum, non quod alij sint Dij minores uel maiores (Vnus enim est Deus magnus, æternus, omnipotens, immensus) sed quod ante hunc aduentum ad iudicium, non uisus nec manifestatus est, ut corã oculis nostris

Christus cur dicatur Deus Magnus.

adflictiones nobis ad uigilantiam, ut uigilantes expectemus aduenientem Dominum, ne securos & ebrios opprimat Luc: 12. Matth: 24. Hec spe beata uincemus omnes adflictiones, & hic est portus nauigationis nostræ.

Et aduentum gloriæ magni Dei.

DVplex est *aduentus Filij Dei, Prior contumeliæ & ignominiæ, seu humiliationis, de quo Esaias inquit: Non est species ei neq; decor, & nos putauimus eum quasi leprosum & percussum à Deo & humiliatum &c.*

Matth. 24. Luc. 21

Posterior aduentus est aduentus gloriæ seu glorificationis, de quo ipse Filius Dei inquit: Tunc uidebunt Filium hominis uenientem in nubibus cum potestate & gloria magna, de quo aduentu hic loquitur Paulus: Aduenict autem non modo ut qui antea infirmus & plenus ignominia erat, suam Maiestatem & gloriam ostentet Diabolis & toti mundo, sed ut etiam suos liberatos à contumelia & morte glorificet, et uita ac lætitia æterna ornet. Certus enim sermo, si commortui sumus, & conuiuemus, si sufferimus, & conregnabimus, 2. Timo: 2. & Coloss: 3. Quandocunq; Christus manifestatus

status fuerit, uita nostra, tunc & uos cum illo manifestabimini in gloria.

ἐπιφανίαν illustrationem gloriæ magni Dei.

Filius Dei consputus, flagellatus, crucifixus, in summa infirmitate & ignominia, tantum abest, ut uideatur Dominus gloriæ & Deus magnus, ut etiam inter sceleratos Latrones tanquam Latronum princeps reputetur, tam contemptus & inglorius est prior aduentus Filij Dei, ad λύτρον.

Sed posterior aduentus Filij Dei ad iudicium uiuorum & mortuorum, talis erit, ut hunc antea consputũ, flagellatum, crucifixum, mortuum, sepultum, & resuscitatum ex morte, omnibus, Diabolis & hominibus, uniuersis manifestum & conspicuum fiat, esse Dominum gloriæ, esse Deum Magnum, uenientem in nube cum potestate & gloria magna Saluatorem piorum.

Christus cur dicatur Deus Magnus.

Vocat uero Dominum nostrum Iesum Christum, Deum magnum, non quod alij sint Dij minores uel maiores (Vnus enim est Deus magnus, æternus, omnipotens, immensus) sed quod ante hunc aduentum ad iudicium, non uisus nec manifestatus est, ut corã oculis nostris

conſpiceretur Deus Magnus, æternus, omnipotens, immenſus, Iam enim credimus tantum, iuxta Verbum, Chriſtum eſſe Deum Magnum, Vnum, cum Patre & Spiritu ſancto, & cernimus hunc Deum Magnum per ſpeculum in ænigmate, ſed cum in nube in gloria ſua uenit, & omnes ſancti Angeli cum eo, & ſedebit ſuper ſedem gloriæ ſuæ, ibi coram, facie ad faciem cernemus uere Magnum Deum et gloriæ Dominum, Dominum noſtrum Seruatorem Chriſtum Ieſum.

1. Cor. 13
Matth. 25

Hanc eſſe mentem Pauli, oſtendunt eius uerba, cum inquit:

Expectantes ἐπιφάνειαν.

Illuſtrationem ſeu manifeſtationem ſeu oſtenſionem. Nam uox aduentus non reddit ſatis clarè græcam uocem. Loquitur enim hic de uniuerſali manifeſtatione gloriæ Chriſti coram toto mundo, quæ in extremo iudicio à diabolis et toto humano genere conſpicietur, quæ gloria ipſius & Eccleſiæ ab eo die in omnem æternitatem durabit.

Manifeſtatio Chriſti uniuerſalis.

Viderunt Apoſtoli gloriam Chriſti, gloriã quaſi unigeniti à patre, cum in monte uiderunt transformatum coram illis, & ſplenduit facies eius ſicut Sol, Veſtimenta autem illius facta ſunt candida, ſicut Lumen. Acceperat enim

tem, inquit Petrus : 2. Pet. 1. à Deo Patre honorem & gloriam, uoce ad illum delata huiusmodi à magnifica gloria, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est &c. Item dum resuscitaret mortuos, fugaret Dæmones, curaret ægrotos, cæcis uisum, surdis auditum restitueret, cum aquam in uinum uerteret, et sic manifestaret suam gloriam, sed hic conspectus et hæc manifestatio gloriæ, fuit particularis. Hæc autè Epiphania erit uniuersalis, quæ ut dictum est, in nubibus & coram omnibus Diabolis & toto genere humano fiet, ibi apparebit Christus Deus magnus, omnipotens, æternus, immensus, sicuti Deus Pater, & Deus Spiritus Sanctus, unus Deus magnus, æternus, omnipotens &c.

Vocat autem Paulus hic Saluatorem nostrum Iesum Christum, Deum magnum, sunt uero naturæ humanæ assumptæ appellationes, (Iesus Christus) ostendens hunc eundem, qui ex Maria uirgine caro & homo factus est, esse Verbum Filium & Deum magnum, duas uidelicet naturas in Christo unione personali unitas, diuinam & humanam, & hunc esse Saluatorem nostrum, Deum & hominem, in una Persona Iesum Christum, quæ ob-

Iesus Christus Deus & homo.

quæ obſeruanda ſunt contra Arium & Eunomium hæreticos, qui affirmant hunc locum diuiſim legendum & intelligendum eſſe hoc modo, ut Epiphaniam Magni Dei intelligas de Patre, deinde alteram particulam & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti, de Filio, quaſi Deus Pater, ſit Deus magnus, Filius autem minor Patre. Sed diligenter intuentibus & conſiderantibus hæc Pauli uerba, manifeſtiſſimum eſt, Paulum hic de illuſtratione gloriæ Filij Dei uniuerſali in extremo iudicio loqui, & hunc Filium uocare Magnum Deum, & ſimul Seruatorem noſtrum propter gloriam magnam, in qua apparebit, & ut certum ſit, eum de Filio loqui, ideo addit hæc uerba: (Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti) quæ proprie Filio competunt, qui eſt Seruator omnium hominum maxime fidelium, & Filium Seruatorem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, loqui de ſua Epiphania & illuſtratione gloriæ ſuæ non Patris, certum eſt ex Euangeliſtis, Matthæo & Luca. Coniunctim igitur hæc uerba legi & intelligi debent, expectantes Epiphaniam gloriæ magni Dei, & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti.

Hæretici eorum rumpentes hunc locum Pauli

1. Timo. 4

Matt. 24. 25
Luc. 21. 27

Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti.

Obſer-

OBseruanda est hoc loco, & consolatio proposita omnibus sobriè, iustè & piè uiuentibus & expectantibus Epiphaniam Domini, quam manifestationem dicit fore non hostis, non Carnificis, sed Seruatoris nostri Iesu Christi, qui ideo hanc manifestationē instituit, ut tandem sobriè, iustè & piè expectantes ipsius manifestationem à morte & uniuersis malis, quæ in hac misera uita sustinenda omnib. pijs in Christo uiuentibus sunt, seruet & liberet, et æterna gloria & uita ornet, ideo Dominus iubet nos ad hanc apparitionē & aduentum suum non exhorrescere, sed suspicere & attollere capita nostra, quod tum appropinquet redemptio nostra. Consolatio hic proposita Luc. 21

Alij autem, qui non sobriè, sed in contemptu Dei, qui iniustè & impiè uiuunt, non expectant læti, sed tristes metuunt hanc Christi iudicis manifestationem, de quo & supra dictum est.

Qui dedit semetipsum pro nobis.

QVærat aliquis, qualis sit illa gratia Dei, quæ apparuit & illuxit salutem omnibus hominibus afferens, & quæ sit eius doctrina? Hæc est quod annunciat Filium Dei Quæ sit illa gratia salutifera.

um Dei Dominum & Seruatorem nostrum Iesum Christum, dedisse semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.

Quatuor hic considerandaPrimum igitur cogitetur de ira Dei aduersus peccatum, & de regno ac potentia Diaboli & mortis.

Ira Dei.Ira tanta fuit, ut nulla alia hostia placari potuerit Pater, quam morte & oblatione proprij unigeniti, innocentis & dilecti Filij, Ideo Rom: 5. dicitur: Iustificati sanguine eius, seruabimur per eum ab ira.

Tyrannis & potentia regni peccati, Diaboli & mortis, sub quo totum genus humanum captiuum tenebatur, tanta fuit, ut nullo alio λύτρῳ seu præcio genus humanum redimi & asseri in libertatem, quam hac unica uictima potuerit. Ideo Oseæ 13. dicitur: Ero mors tua ô mors, Et Zacha: 9. Tu in sanguine testamenti tui, emisisti uinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Et Hebræ: 2. Pueri commercium habent cum carne & sanguine, & ipse similiter particeps factus est eorundem, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est, Diabolum, & liberos redderet eos, qui omni metu mortis per omnem uitam obnoxij erant seruituti.

Quia

Quia uero caput Serpentis iam contritum est, & abolitus Diabolus, qui mortis imperium habebat, ideo uox Euangelij hoc uitale & triumphale carmen, tanquam Lux in mundo illucescens, canit, & radios suos spargit, Filium Dei, Seruatorem & Dominum nostrum Iesum Christum, dedisse semetipsum pro nobis, & nos redemisse ab omni iniquitate, Sic 2. Timoth: 1 dicitur: Saluos fecit nos, & uocauit uocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, quæ data quidem est nobis per Christum Iesum ante tempora æterna, sed palam facta est nunc per apparitionem Seruatoris nostri Iesu Christi, qui mortem quidem aboleuit, uitam autem in lucem produxit, ac immortalitatem per Euangelium, Quare cum mors abolita sit, & uita in lucem reparata, necesse est regnum Christi potentius esse regno peccati, Diaboli & mortis, & gratiam exuberare super delictum, quemadmodum enim regnauerat peccatum in mortem, sic & gratia exuberans, regnat per iustitiam ad uitam æternam per Iesum Christum. Rom. 5

Christi regnum potentius regno peccati.

Hæc consolatio infigenda animo est, in terrore peccati & mortis, quam & Bernhardus his uerbis sibi proponit, Traditus est propter pec-

Consolatio Bernhardi dictum

pter peccata nostra, nec dubium, quin potentior sit mors illius in bonum, quàm peccata nostra in malum.

2 Dilectio Dei

Secundo, consideretur & amor immensus æterni Patris & Filij erga nos, in hoc λύτρῳ pro nobis dato. Nihil habet Pater cœlestis carius & præcioſius hoc Filio unigenito & tamen hunc pro nobis dat, nec Filius quicquam carius & præcioſius habet quam ſeſe, & tamen ſemetipſum precium ſummum pro nobis dedit, ut nos redimeret.

Commendant igitur uterq; & Pater & Filius ineffabilem amorem ſuum erga nos, quod proprio Filio ſuo non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, & quod Filius ſibi ipſi non parcens, non aurum aut argentum, ſed ſemetipſum pro nobis in redemptionem dedit, & quidem PRO NOBIS impijs peccatoribus & inimicis ſuis.

Rom. 8

Rom. 5

3 Merita humana.

Tertio, conſideremus etiam noſtras naturas, noſtram dignitatem, opera & merita omnia omnium hominum, quam ſint prorſus nulla & inefficacia ad nos redimendos, iuſtificandos, liberandos ab omni iniquitate, mundandos & ſaluandos. Si enim nos ipſi nos noſtris viribus dignitate & operibus redimere ab omni iniqui-

iniquitate, mundare & saluare potuissemus, non opus fuisset Christum semetipsum pro nobis dare, ut nos redimeret, sicuti & Gal: 2. inquit: Vitam quam nunc uiuo in carne, per fidem uiuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, non aspernor gratiam Dei, Nam si per Legem est iustitia, igitur Christus frustra mortuus est.

Quarto, teneatur et hæc consolatio hic proposita, si semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, peccato et morte &c. dedit Dominus & Saluator noster Iesus Christus, Ergo non metuendus est sobrie, iuste et pie uiuenti bus in hoc seculo, aduentus gloriæ magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, sed potius exoptandus, qui nos quos antea sanguine suo redemit, reconciliauit, iustificauit, mundauit et saluauit certè eo in die & iudicio non accusabit, nec abijciet, non condemnabit Christus Iudex, qui mortuus est pro nobis & peccatis nostris, imo qui excusitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis, Veniet enim non ut Iudex accusaturus & condemnaturus, expectantes & exoptantes ipsius aduentum, sed ut Saluator, Redemptor et Iustificator. Qui igitur non exoptaret Saluatoris & Redemptoris aduentum ex tot & tantis malis in hac misera & ærumnosa uita?

4 Consolatio

Rom. 8

Ab omni iniquitate.

NOn dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret à paruis aut paucis ſeu ſingularibus peccatis, ſed ab omni iniquitate, Id eſt, ab omnibus peccatis multis & magnis & à peccato originali, actuali, ueniali aut mortali, aut quocunq; nomine appellari poteſt. Nam ſi liberauit nos ab omni ἀνομία iniquitate, liberauit etiam ab omni peccato, quia peccatum eſt iniquitas, ut 1. Ioh. 3. dicitur, Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum eſt iniquitas.

Quia itaq; Filius Dei dedit ſemetipſum, λύτρον pro nobis, redempti iam ſumus ab omni iniquitate, quæ nos antea captiuos tenebat, hoc modo, ut remiſſæ ſint iniquitates propter Chriſtum, nec imputentur. Beati autem quorum remiſſæ ſunt ἀνομίαι iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata, Manet tamen ἀνομία iniquitas in ſanctis, rebellans legi mentis, cum qua ſanctis perpetuo pugnandum & pro ea orandum eſt Pſal. 32.

Si igitur ab omnibus peccatis liberati ſumus, liberati ſumus ſimul et à peccati pœna, morte, Diabolo & inferno. Quis igitur ſeparabit nos à dilectione Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino & Saluatore noſtro? Rom. 8.

Et

Et mundaret sibi populum peculiarem.

PRIMVM cum inquit, *ut mundaret*, significat totum genus humanum fuisse immundum, pollutum peccato, reum & obnoxium Deo, sicut & in Ephesijs inquit: *Natura filij iræ eramus*, Id est, commeriti iram propter naturam contaminatam & deprauatam peccato. Ita mundus immundus est, cum omni sapientia, omni doctrina, omni sanctitate & integritate sua, cum omnibus uirtutibus suis, nisi per Christum mundetur. Omnes enim peccauerunt ac destituuntur gloria Dei, Non est iustus ne unus quidem. Hanc immunditiem nostram iubet hoc loco Paulus nos considerare & deplorare. Totum genus humanum immundum. Rom. 3

SECVNDO considerandum est, quo modo hæc mundatio seu purificatio fiat. Quomodo mundatio fiat.

Primum facta est per effusionem sacrosancti sanguinis Domini nostri Iesu Christi, qui ipse testatur, pro multis effusus est in remissionem peccatorum.

Secundo fit hæc mundatio, cum per Hyssopum, ministerium Euangelij sanguine Iesu Christi aspergimur, et hanc aspersionem sanguinis Iesu 1. Pet. 1

Psal. 50 nis Iesu Christi fide excipimus, & eo nos abluimus iuxta dicta: Asperges seu expiabis me Hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor. Item, fide purificans corda. Act. 15 Item, Sanguis Iesu Christi mundat nos ab omnibus peccatis. 1. Ioh. 1

3 Tertio, fit hæc mundatio ut sequens capite dicit, per lauacrum regenerationis ac renouationis Spiritus Sancti, Et Ephe: 5. Christus dilexit Ecclesiam & semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret mundatam lauacro aquæ per Verbum &c.

4 Quarto, Cum in regeneratos per lauacrum effundit Spiritum sanctum, sanctificantem & renouantem, et transformantem nos ad imaginem Dei, à gloria in gloriam, quotidie crescente munditie & uitæ nouitate, depositio ueteri homine, induentes nouum hominem, qui iuxta Deum conditus est, per iustitiam & sanctitatem ueram non hypocriticam. 2. Cor: 3 Ephe. 4.

Sibi.

CVi mundatur tanto sumptu, precio ac studio populus peculiaris, quærat aliquis? Respondet Paulus, Mundat SIBI populum peculiarem, iuxta hæc dicta, Dabo tibi Psal. 2

gentes

gentes hæreditatem tuam, Item, Ecce ego & pueri, quos mihi dedit Deus, Item, Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo, tui erant & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt &c. Hebræ. 2 Esaiæ 8. Iohan. 17

Mundamur igitur Christo, ut ipsius simus peculiaris populus, genus electum, regale sacerdotium, Gens sancta, Populus qui in lucrum acessit, sicuti Exod: 19. dicitur, Eritis mihi in peculium de cunctis populis &c. 1. Pet. 2

λαον περιούσιον. Populum peculiarem.

ASscribo hic uerba & interpretationem Hieronymi. Sæpe mecum considerans, quid sibi uellet uerbũ περιούσιον et à sapientibus seculi huius, interrogãs, si forte alicubi legissent, nunquam inuenire potui, qui mihi quid significaret, exponeret. Quamobrem compulsus sum ad uetus instrumentum recurrere, unde arbitrabar & Apostolum sumpsisse quod dixerat.

Hebreus enim ex Hæbreis, & secundum legem Phariseus, utiq; id ponebat in Epistola quod in ueteri testamento legisse se nouerat. Deuteronomio itaq; reperi: Quoniam Populus sanctus tu, Domino Deo tuo, & in te

complacuit Domino Deo tuo, ut esses ei in populum περιούσιον ex omnibus populis, qui sunt super faciem terræ. Et in centesimo tricesimo quarto Psalmo, ubi nos habemus: Psallite nomini eius, quoniam suaue est, Quoniam Iacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi, pro eo quod est, in possessionem, in græco scriptum est, εἰς περιουσιασμὸν quod quidem Aquila & quinta editio εἰς περιούσιον expresserunt. LXX. uero & Theodotio περιουσιασμὸν transferentes commutationem syllabæ fecere non sensus. Symmachus igitur pro eo quod est in Græco περιούσιον in Hebreo סגלה expressit ἐξαίρετον, id est, egregium uel præcipuum, pro quo uerbo in alio uolumine latine sermone utens, peculiarem interpretatus est. Recte igitur Christus Iesus, magnus Deus noster atq; saluator, redemit nos sanguine suo, ut sibi Christianum populum peculiarem faceret, qui peculiaris tunc esse posset, si bonorum operum æmulator existeret. Hæc Hieronymus hoc in loco.

Consolatio hic propolita.

Est & hoc loco obseruanda consolatio, si sumus peculium seu peculiaris populus, de cunctis populis selectus, & hæreditas Christi, certe hic Deus magnus & saluator noster Iesus Christus saluum faciet populum suum, expectantem beatam

TITVM CAP. II.

beatam ſpem & aduentum eius, & benedicet hereditati ſuæ, & reget eos & extollet illos vſq; in æternum, defendet & ſaluabit, neq; ſinet illi eripi aut perire hæreditatem & peculium ſuum, ſuo ſanguine redemptum & mundatum. Huius peculij & hæreditatis Chriſti partem etiam te eſſe credas redemptum & mundatum ſanguine Chriſti, quia es baptizatus, & per baptiſmum induiſti Chriſtum & fide illi inſitus es, audis & diſcis illius uerbum, & ſequeris Paſtoris tui uocem, Ergo hic Paſtor dabit tibi uitam æternam, nec peribis in æternum, neq; rapiet te quisquam de manu illius. Ioh. 10

Hanc conſolationem teneamus, & ſemper habeamus in conſpectu.

ζηλωτὰς καλῶν ἔργων.

NOn iubet ſimpliciter facere bona opera, Sed uult Chriſtianos inuicem eſſe ζηλώτας, emulatores, & inter ſeſe contendere de bonis operibus faciendis, nec concedere uiciniam in exercenda beneficentia alijs. Emulatores bonorum operum.

Oſtendit autem in quem finem ſanguine

complacuit Domino Deo tuo, ut esses ei in populum περιούσιον ex omnibus populis, qui sunt super faciem terræ. Et in centesimo tricesimo quarto Psalmo, ubi nos habemus: Psallite nomini eius, quoniam suaue est, Quoniam Iacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi, pro eo quod est, in possessionem, in græco scriptum est, εἰς περιουσιασμὸν quod quidem Aquila & quinta editio εἰς περιούσιον expresserunt. LXX. uero & Theodotio περιουσιασμὸν transferentes commutationem syllabæ fecere non sensus. Symmachus igitur pro eo quod est in Græco περιούσιον in Hæbreo סגלה expressit ἐξαίρετον, id est, egregium uel præcipuum, pro quo uerbo in alio uolumine latine sermone utens, peculiarem interpretatus est. Recte igitur Christus Iesus, magnus Deus noster atq; saluator, redemit nos sanguine suo, ut sibi Christianum populum peculiarem faceret, qui peculiaris tunc esse posset, si bonorum operum æmulator existeret. Hæc Hieronymus hoc in loco.

Consolatio hic proposita.

Est & hoc loco obseruanda consolatio, si sumus peculium seu peculiaris populus, de electis populis selectus, & hæreditas Christi, certe hic Deus magnus & saluator noster Iesus Christus saluum faciet populum suum, expectantem

beatam

TITVM CAP. II.

lutem spem & aduentum eius, & benedicet hereditati suæ, & reget eos & extollet illos vsq; in æternum, defendet & saluabit, neq; sinet eripi aut perire hæreditatem & peculium suum, suo sanguine redemptum & mundatum. Huius peculij & hæreditatis Christi partem etiam te esse credas redemptum & mundatum sanguine Christi, quia es baptizatus, & per baptismum induisti Christum & fide illi insitus es, audis & discis illius uerbum, & sequeris Pastoris tui uocem, Ergo hic Pastor dabit tibi uitam æternam, nec peribis in æternum, neq; rapiet te quisquam de manu illius. Ioh. 10

Hanc consolationem teneamus, & semper habeamus in conspectu.

φιλοτιμεῖσθαι καλῶν ἔργων.

NOn iubet simpliciter facere bona opera, Emulatores bonorum operum.
Sed uult Christianos inuicem esse φιλοτίμους, æmulatores, & inter sese contendere de bonis operibus faciendis, nec concedere uiciniam in exercenda beneficentia alijs.

Ostendit autem in quem finem sanguine

In quem finem redempti & mundati simus.

Christi ab omni iniquitate simus redempti & mundati, nempè ut redempti & mundati in hac mundicie perseueremus, non iterum omni iniquitate, ut Sus lota, reuersa ad uolutabrum cœni, nos polluamus. Ad hoc enim inquit Ambrosius, Redemit nos Christus, ut puram uitam sectantes, repleti operibus bonis, regni Dei hæredes esse possimus, Neq; enim Scortatores, Idolatræ, adulteri regni Dei hæreditatem accipient.

1. Pet. 2 Ambrosius

1. Cor. 6 Ephe. 5 Gal. 5

Vt igitur sis hæres & possessor regni Dei & uitæ æternæ, necesse est te non esse ebrium, iniustum, impium, adulterum aut Scortatorem. Nam ad talia opera carnis non es redemptus & mundatus sanguine precioso Christi, Agni immaculati & incontaminati, sed ut sis Sectator seu æmulus, ut hic inquit, bonorum operum. Nam qui Adulter aut Scortator est, nec agit pœnitentiam, etiamsi fidem iactet, tamen (ut hoc loco idem Ambrosius inquit) huius spes frustrata est, qui solam professionem fidei habet, sine bonis operibus.

1. Pet. 1

Ambrosij interpretatio

Ad quid simus conditi.

Vt autem sis æmulator bonorum operum. Primum cogitabis, ad quid sis initio conditus, nempè ad similitudinem & imaginem Dei, ut in te luceant illa bona, quæ sunt in Deo, sapientia, iustitia, clementia, bonitas, lenitas, temperantia, castitas, ueritas et cætera, non ut sis tetra larua aut

cloaca Diaboli, repræsentans eius imaginem, pollutus cædibus, furtis, rapinis, libidinibus, mendaciis &c.

Secundo, cogitabis, ad quid denuo in Christo Iesu conditus, & precioso sanguine ipsius redemptus & mundatus sis, nempè ut hic inquit, ut sis Sectator bonorum operum, & ut abnegans impietatem & sæcularia desideria, sobriè, & iustè & piè uiuens in hoc sæculo, lætus ac bona conscientia, expectare possis beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, cuius aduentum, nisi ita uixeris, & bonam militiam militaueris, habens fidem et bonam conscientiam, metues, & tristis expectabis. Sumus enim Dei opus conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit Deus, ut in eis ambularemus, Nam qui in his non ambulant, amittunt gratiam & fidem & bonam conscientiam, ac faciunt naufragium circa fidem, sicut Hymeneus & Alexander, nec erunt uitæ æternæ heredes.

Ad quid simus redempti. Ephe. 2

Ephe. 2

1. Time. 1

Postremo, cogitabis quoq; , quid illud sit, quod Christus & cum Christo Athanasius in symbolo inquit: Veniet horæ, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient uocem Filij hominis & prodibunt qui bona fecerunt in resurrectionem uitæ, qui uero mala egerunt, in resurrectionem condemnationis.

Item Athanasius.

Inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos.

Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis.

Et reddituri sunt de factis proprijs rationem, & qui bona egerunt, ibunt in uitam æternam, qui uero mala in ignem æternum.

Hæc est fides Catholica, quam nisi quisq; fideliter firmiterq; crediderit, saluus esse non poterit.

Hæc loquere & exhortare & argue.

EMphasis est in uoce, HÆC, Q. d. non loquere, neq; doce talia, qualia Pseudoapostoli loquuntur, qui docent fabulas Iudaicas, & hominum traditiones, qui uaniloqui, & seductores, uniuersas domos subuertunt docentes quæ non oportet, turpis lucri causa, sed loquere & doce, et exhortare & argue, hæc quæ decent sanam doctrinam, & quæ hoc loco tibi præscripsi, nempe fidem primum, ut sciant & credant Iesum Christum semetipsum dedisse pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, filios & hæredes Dei faceret.

Quæ sint docenda.

Deinde loquere & doce & exhortare se-

cū

...tum, adolescentulas, iuuenes, seruos ac totam Ecclesiam, ut abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè, & iustè & piè uiuant in hoc seculo, & sint ζηλώται amulatores bonum operum, cum lætitia & bona conscientia expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi. Hæc doctrina satis est ad pietatem, nisi alia præterea opus est, scilicet docere fidem & caritatem seu bona opera, fidei & iustitiæ fructus, ne homines frustremur beatas esse, qui eam professionem fidei habent, sine bonis operibus, ut inquit Ambrosius. Hæc duo semper docenda & inculcanda sunt, idcc inquit:

Hæc loquere & exhortare & argue.

VVlt docere primum, quia doctrina fidei & ueritatis assidua, semper affert aliquid lucis, utilitatis, & reddit hominem meliorem, purgat cor, & incendit amore Dei & proximi, adimit malas cogitationes, & instillat bonas & pias, extinguit concupiscentias malas &c. Quomodo enim descendit imber, & nix de Cœlo, & illuc ultra non reuertitur, sed inebriat terram, & fœcundam Doctrina.

fœcundam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti, sic erit Verbum meum quod egreditur de ore meo, non reuertetur ad me uacuum,
Esaiæ 55 sed faciet quæcunq; uolui, & prosperabitur in his, ad quæ emisi illud, dicit Dominus.

Exhortare.

Exhortatio

EXhortatione ideo opus est, quia homines alioqui fastidiunt uerbum, fiunt segnes & somniculosi in fide & exercitio bonorum operum. Exhortatio enim excutit somnum, contemptum & fastidium.

Argue cum omni imperio.

ID est, cum omni seueritate, ut sciant, hoc esse Verbum & mandatum diuinum immutabile, ut agant pœnitentiam, & credant Euangelio, ut abnegent impietatem & desideria secularia. Et ut sobriè, iustè et piè uiuentes Senes, Anus, Iuuenes, serui & omnium ordinum homines, expectent beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei &c. qui redditurus est unicuiq; secundum opera sua.

Hæc omnia urge tanta seueritate, ut audientes sciant se non Iudaicas fabulas aut hominum traditiones, sed uerbum & mandatum Dei audire.

Vult

Vult itaq; ut sic & ea grauitate & seue-
ritate doceat, ut pariat suæ doctrinæ authori-
tatem & reuerentiam, Vult ut instet & incul-
cet animis hominum omnium ordinum, ut susci-
piant Verbum cum reuerentia, ne veniat in con-
temptum aut fastidium apud auditores. Sic de
Christo refert Matthæus Cap: 7. Docebat eos
velut habens authoritatem, & non sicut scribæ.
Et de Thessalonicensibus sic scribit Paulus 1.
Thessa. 2. Agimus gratias Deo indefinenter,
quod cum acciperetis sermonem à nobis, quo
Deum discebatis, accepistis non sermonem ho-
minum, sed sicut erat uere, sermonem Dei, qui
& agit in uobis credentibus.

Hoc est quod hic inquit, μετὰ πάσης ἐπιταγῆς, cum omni imperio, Non ut tu impe- ἐπιταγή. 2. Cor. 8. 1. Pet. 5.
rium & Dominium tibi in gregem Domini ar-
roges, sed ita doceas, ut homines intelligant
tibi à Deo imperatum et mãdatum seu delega-
tum & commissum esse (Id enim significat uox
ἐπιταγὴ). Vt hæc tam seuere doceas, ut au-
thoritas & reuerentia sit ex Deo delegante &
mandante, non ex tuo imperio aut Dominio in
Ecclesiam Christi, cuius ministri non Domini
sunt. Caput autem & Dominus eius, est Do-
minus noster Iesus Christus. Sic 1. Timoth: 1.

Paulus

Paulus Apostolus Iesu Christi, κατὰ ἐπιταγὴν Dei seruatoris nostri, Et supra Cap. 1. Prædicatio commissa est mihi secundum delegationem ἐπιταγὴν seruatoris nostri Dei. Item 2. Cor. 5. Posuit in nobis sermonem reconciliationis, itaq; nomine Christi legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.

Nemo te contemnat.

1. Cor. 4.

VVlt Titum ita se in sua functione gereret, ut merito à nemine contemni posit. Nam si quis præter meritum contemnatur, ut Christo Prophetis Apostolis contigit, qui uelut excrementa mundi facti sunt, & omnium reiectamentum, id Deo committendum & patienter propter Christum ferendum est. Idem mandatum dat Timotheo 1. Timo. 4. pene ijsdem Verbis, Præcipe hæc & doce, Nemo tuam iuuentutem contemnat.

Vide, si libet, Hieronymum hoc loco disputantem de discrimine uerborum κατὰ φρονεῖν καὶ περιφρονεῖν.

Hæc in Caput secundum.

Caput

CAPVT III. 64

Admone illos, principibus & potestatibus subditos esse.

ABsolutis in prioribus *duobus capitibus præceptis ad Ecclesiam & œconomiam pertinentibus, subijcit iam politica, quæ ad magistratus & subditos pertinent.*

Præcipit uero obedientiam erga principes & Magistratus.

PRIMVM *autem cum præcipit obedientiam erga Magistratum, significat potestates non esse latrocinium, sicuti plerique existimant, iniusta ui aut casu, sed diuinitus constitutũ, & ideo mandato diuino præstandam esse obedientiam Magistratui, sicuti clarè & ad Rom: Cap. 13. inquit: Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit. Non enim est potestas, nisi à Deo, quæ uero sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Itaq; quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit, Item Dei minister est, ultor ad iram, ei, qui quod malum est, facerit. Quapropter oportet esse subditos, non solum propter iram, uerum etiam propter conscientiam.* Item

1 Magistratibus obediendum esse ut potestati a Deo ordinatæ.

Item 1. Pet. 2. *Subditi estote cuiuis humanæ creaturæ, propter Dominum siue Regi tanquam præcellenti, siue præsidibus, ut qui per eum mittantur, ad uindictam quidem nocentium, laudem uero recte agentium, quoniam sic est uoluntas Dei.* Item Daniel: 4. *Excelsus dominatur in regno hominum, & cuicunq; uoluerit dabit illud.*

Obediendum igitur est Magistratui, ut Deo ipsi, cum Dei minister sit, & ea obedientia, quæ Magistratui, quanquam homini præstatur, præstatur ipsi Deo. Polluunt igitur conscientias suas, & accersunt sibi iudicium diuinum, qui obedientiam erga Magistratum excutiunt, & facilior est obedientia, etiamsi durius & asperius sit imperium, cum scimus, obedientiam non tam homini, quam Deo præstari, Ideo Petrus inquit: Subditi estote cuiuis humanæ creaturæ PROPTER DOMINVM.

2 Antichristi Romani pontificis Regnum quale sit.

SECVNDO *obseruandum hoc loco est, quale sit regnum Antichristi pontificis Romani, qui iugum obedientiæ erga Principes & Magistratus, cum toto suo corpore, contra hoc mandatum diuinum prorsus abiecit, & reges ac principes sibi subiecit, ut sint scabellum pedum Romani pontificis, & eos exosculari cogantur, & eum pro Monarcha orbis terrarum agnoscere,*

scere petere ab eo confirmationem, & approbationem, si qui Imperatores aut Reges constituuntur. Ita quoq; exempti & liberati sunt ab obedientia erga seculares Principes, ut uocant, omnes quotquot à pontifice Romano rasi & uncti, & illius corpori inserti sunt, contra manifestam doctrinam & exemplum Christi & Apostolorum, qui subditi principibus & potestatibus etiam Ethnicis, & sceleratis Tyrannis, fuerunt. De his prædixit Petrus, carnem sequentes in concupiscentia pollutionis ambulant, ac dominationem contemnunt, audaces, præfracti, qui gloria præcellentes non extremur conuicijs incessere. 2. Pet. 2

Excussa igitur, præcepta diuinitus, obedientia erga Principes & Magistratus, Romanus Pontifex nouas obedientias finxit, & constituit, de quibus nullum prorsus mandatum diuinum est, nempe obedientiam erga sese, & Romanam sedem, Monachorum et monialium erga Abbates, Priores, Guardianos, qui status & ordines sacrificulorum, Monachorum, monialium & clericorum Papisticorum extra hos tres status & ordines sunt, quorum hac Epistola meminit Paulus. Pontificij finxerunt nouam obedientiam.

Nam si approbaret Paulus statum Pontificum, & haberet pro Ecclesia haud dubie

in primo capite, ubi de ſtatu Eccleſiaſtico præcepta tradit, eius memimiſſet, ſed de regno pontificio, quod exoriturum in Spiritu præuidit Paulus, ſic ſcribit & prædicit: Homo ſceleroſus Filius perditus, qui eſt aduerſarius, & effertur aduerſus omnem, qui dicitur Deus, aut numen, reuelabitur, & ille iniquus pateſiet, quem Dominus conficiet Spiritu oris ſui, & abolebit claritate aduentus ſui, cuius eſt aduentus ſecundum operationem Satanæ, cum omnipotentia, & ſignis ac prodigijs mendacibus &c.

2. Theſſ. 2 Propheria Pauli de Papatu.

Et quia Paulus in hac Epiſtola omnibus ſtatibus & ordinibus, quorum tres ſunt diuinitus inſtituti, Eccleſiaſticus uidelicet, œconomicus & Politicus, præcepta uitæ tradit, nec meminit ſtatus pontificij, apparet Regnum Pontificium à Diabolo contra Chriſtum & eius Eccleſiam conſtitutum defendi & conſeruari, mendacijs & iniuſta ui ac Tyrannide, omnes alios Reges & Principes contemnens & proculcans pedibus, contra hoc mandatum Dei: *Subditi eſtote principibus & poteſtatibus.*

Regnum pontificium a Diabolo conſtitutum.

Nam in ſtatu ueræ Eccleſiæ eſſe non poteſt, cum ſit perſecutor Chriſti & Eccleſiæ ip-

Probatio.

ſiæ ipſius, & ex illo grege, de quibus in primo capite inquit: Multi ſunt inobedientes, uaniloqui & ſeductores.

Neq; in ordine œconomico eſſe poteſt, cum prohibeat matrimonium, & ſit Vaſtator œconomici ſtatus, & leno turpiſſimus.

Poſtremo tantum abeſt, ut ſit Magiſtratus politicus, ut omnes alios eius ordinis, ſicut dictum eſt, pedibus proculcet, & pro ſcabellis ſuorum pedum habeat, Neq; in Regum ordine ſed ſupra omnes Reges & Principes, & eos cum Imperatore ſibi obnoxios & ſubditos eſſe uelit.

Ita manifeſtum eſt, ſtatum Pontificium non eſſe poteſtatem à Deo ordinatam, ſed per mendacia, hypocriſin, fraudes & dolos autore Diabolo conſtitutam, efferentem ſe ſupra omnes poteſtates quæ à Deo ordinatæ ſunt, imo, ut Paulus inquit, efferentem ſe aduerſus omnem qui dicitur Deus aut numen, adeo, ut in templo Dei ſedeat, oſtentans ſeipſum eſſe Deum. Status Pontificius, non eſt poteſtas à Deo ordinata.

Tyrannidem autem Pontificiam, non eſſe legitimam poteſtatem diuinitus conſtitutam, ſed à Satana ad contumeliam Probatio ex uerbis Pauli.

1. Thess. 2

Filij Dei & uastationem aliarum potestatum excitatam, claris Verbis refert Paulus, cum ait: Cuius est aduentus secundum operationem Satanæ, cum omni potentia, & signis ac prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniustitiæ in his qui pereunt &c.

Dan. 7
Autor Regni pontificij.

Autor igitur Regni Pontificij, quod, ut Daniel inquit, sermones contra excelsum loquetur, & sanctos altissimi conteret, Satan est, Artes quibus constituitur & defenditur, sunt mendacium, hypocrisis, deceptio, falsi & simulati cultus, corruptelæ cœlestis doctrinæ & similes.

Dan. 7

Orandus igitur est Deus, ut iudicium sedeat, quo hæc potentia auferatur & conteratur & dispereat usq; in finem.

Discrimen inter status a Deo ordinatos, & inter Regnum Pontificium.

Hæc ideo dicenda fuerunt, ut appareat discrimen inter status & potestates, quæ à Deo ordinatæ sunt, & Regnum Pontificium à Satana per mendacium inuentum, Vt qui Romano Pontifici subditi sunt, & eius mendacia adorant, sciant, se sub Regno Satanæ & Antichristi esse, & se non Deo sed Satanæ seruire & obedire, pro eo quod dilectionem ueritatis non receperunt in hoc ut salui fierent. Et Propterea misit illius Deus efficatiam illusionis,

2. Thess. 2

sionis, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes, qui non crediderunt ueritati, sed approbauerunt iniustitiam.

TERTIO, *obseruandus hic locus est principibus & potestatibus ipsis, ut inde consolationem capiant. Cum enim iubeat subditos esse principibus & potestatibus, & alibi dicat Magistratum esse ministrum Dei, & potestates à Deo ordinatas esse, non solum approbat potestates, sed & ostendit Deum ipsum esse autorem & defensorem potestatum & status politici. Sicuti Prouerb. 8. dicitur: Meum est consilium & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo, per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt, per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.* 3 Consolatio proposita Principibus ac Magistratibus.

Sciant igitur Principes & Magistratus, se non in prophano aut impio officio uersari, sicut plerique principes putant, sed in tali munere & uitæ genere, quod diuinitus & constitutum est & conseruatur, & cogitent, non sua sapientia, suis uiribus aut potentia, sua regna & imperia, sed diuinitus protegi et seruari. Idco petant à Domino, cuius solius est consilium, & æquitatem, prudentiam & fortitudinem

titudinem. Hic enim est, qui dat salutem Regibus & fœlices successus in gubernatione, qui docet manus Regum ad prælium, qui dat victoriam.

Psal. 144
Psal. 17

Qui principes hæc non cogitant nec petunt à Deo, abutuntur sua potentia, & uertunt imperium in Tyrannidem, nihil aliud cogitantes, quam imperia esse latrocinium & Tyrannidem, & se non esse curæ Deo, non iuuari à Deo, non defendi.

4 Consolario subditis proposita.

QVARTO sciant & subditi eam obedientiam, quam principibus & potestatibus præstant, se Deo præstare, cum Magistratus sit diuina ordinatio, & Dei minister sit. Hæc, ubi cogitabunt, obedient uolentes, sine murmuratione, sine indignatione & molestia, & scient hanc suam obedientiam placere & gratam esse Deo, cum diuinitus sit mandata, & esse cultum placentem Deo, oblatum in Christo Iesu, Sed Monachi obedientia, quam suo Abbati, Prioria ut Guardiano præstat, est traditio humana, qua frustra colitur Deus.

Iubet autem subditos esse principibus et potestatibus, quicumq; aut qualescunq;, siue Ethnici, siue Christiani, siue boni aut mali fuerint.

Item

Item, cuiuscunq; generis sint, siue sint Magistratus, tempore pacis siue belli. Vult enim utroq; tempore pacis & belli subditos esse, ideo additur hic:

πειθαρχεῖν dicto obedire.

VT cum tempore belli ex iusta causa suscepti, princeps iubet subditos belligerari & occidere hostes, subditi debent obtemperare, quanquã præceptum sit, Non occides. Et possunt subditi bona conscientia contra quintum præceptum occidere hostes latrocinantes, & pacem publicam turbantes, quia superius præceptum quartum, Honora Patrem & Matrem, Item, Honora Magistratum, & ei obedias, derogat autoritatem inferiori & sequenti quinto, Non occides, Et hic in præcepto quinto, Non occides, prohibetur priuata uindicta. Hæc autem uindicta est publica, Magistratus scilicet ministri Dei, qui gerit gladium, ut ultor sit ad iram, ei, qui quod malum est, fecerit, quapropter oportet esse subditos, non solum propter iram, uerum etiam propter conscientiam, quia conscientia

An Christiano liceat belligerari.

conſcientia ſauciatur & polluitur, cum non obtemperas Magiſtratui mandanti, ut Dei miniſtro. Vult Deus tolli improbos turbantes pacem publicam, & ſi qui tolluntur per Magiſtratum, tolluntur non tam mandato hominis Principis aut Regis, quam ipſius Dei, quia illius eſt regnum, potentia & gloria in ſecula ſeculorum Amen. Et ſcriptum eſt: Non hominis exercetis iudicium ſed Domini, Item, Per me Reges regnant.

2. Paral. 19 Prouerb. 8

Ad omne opus bonum paratos eſſe.

Quatenus obediendum ſit Magiſtratui.

HIc docet quatenus obediendum ſit *principibus & poteſtatibus, nempe mandantibus iuſta & bona, cum inquit:* Ad omne opus bonum paratos eſſe. *Nam iniuſta & mala, mandato diuino prohibita præcipientibus, non eſt obtemperandum, iuxta regulam Petri & Apoſtolorum:* Obedire oportet Deo magis quam hominibus. *Sic Iouinianum* χιλιάρχος, *Iuliano Imperatori præcipienti, ut Dijs gentium ſacrificaret, non optemperauit paratus alioqui ad omne opus bonum ab*

Act. 5

Impera-

imperatore, quanquam impio homine, præceptum in militia.

Neminem blaſphemare.

REfero hoc præceptum primum ad Magiſtratus & principes, deinde in genere ad omnes.

Eſt autem hæc natura uulgi ut mandata & onera à Magiſtratu impoſita ægrè ferant, & ob ea indignentur homines impij, indignationem autem ſequuntur blaſphemiæ, & conuitia in Magiſtratus, ſcriptum eſt autem, Principi populi tui non maledices. Nam quanq; interdum & iniuriam facit Magiſtratus, tamen ob id non blaſphemandus aut conuiciandus eſt, ſed potius in bono malum uincendum eſt, et uindicta commendanda Deo. Rom. 12

Deinde & generale præceptum eſt ad omnes homines pertinens, ne cuiquam maledicant, ne ſint ſuſurones, obtrectatores, ſed aliorum famam & exiſtimationem ſtudeant tueri & defendere.

ἀμάχους εἶναι.

NE ſint pugnaces, non litigioſi, id eſt, non rebelles, non ſeditioſi, ſed obtemperantes. Ho-

tes. Homines enim amantes & fouentes lites, rixas, pugnas, præbent cauſas ſeditionum & motuum aduerſus Principes & Magiſtratus, & turbant pacem publicam. Huc pertinet, qui omnia dicta & facta principum calumniantur, & in peiorem interpretantur partem, ut odia multitudinis principibus & Magiſtratui concilient, & ipſi poſtea in honore & admiratione ſint, qualis calumniator Abſolon fuit, qui omnia dicta & facta patris Dauidis in peßimam partem interpretabatur.

2. Reg 15

ἐπιεικῆς modeſtos, æquos.

SIc & 1. Timoth. 3. uult Epiſcopum ἄμαχον, ἐπιεικῆ non pugnacem, æquum eſſe. Vult igitur nos omnia in meliorem partem interpretari, nec ſemper rigorem iuris ſequi, Sed propter inuocationem, propter tranquillitatem conſcientiæ propriæ, deinde etiam publicam, interdum cedere de noſtro iure, Exemplum non pugnacis, ſed æqui & modeſti hominis eſt Dauid, qui cum ſciret, ſe uoluntate Dei electum regem, non perſequitur ius ſuum, non ſtruit inſidias Regi Saul, ſed parcit ipſi, etiam cum poßet tollere, quam-

Regum 1 Cap. 24

quam

quam ipse à rege pateretur insidias, & hostilem persecutionem. Et pertinet hæc uirtus ἐπιείκεια quoq; ad Magistratum, ne semper rigorem iuris, sed æquitatem etiam sequatur, ne pœnas exasperet, sed potius mitiget. Summum enim ius, summa crux est, & nimius rigor, & nimia sæueritas, abalienat animos hominum à Magistratibus, Sic Dauid seruat ἐπιείκειαν non rigorem iuris, erga hostem & persecutorem Semei, de quo se ulcisci poterat. 2 Reg. 19

Omnem exhibentes mansuetudinem erga omnes homines.

Πραότης uirtus opposita est tor uitati, asperitati, morositati, iracundiæ, contentionibus, rixis, odijs, simultatibus, inuidiæ, cupiditati uindictæ, & multis alijs similibus uitijs, quæ mox infra recensebit, & pios uiuere iubet. Quia ubi hæc uitia regnant, non bene custodiri & conseruari pax & tranquillitas publica potest, Vt igitur sit aliqua pax, ita exhibenda mansuetudo est, ferendæ aliorum iniuriæ, asperitas, morositas, iracundiæ, odia propter

propter Deum, & tranquillitatem publicam. Ideo inquit Christus μακάριοι οἱ πραεῖς, Beati mites, Quoniam ipsi habitabunt terram. Immites enim, crudeles & uindictæ cupidi, laxantes frenos iracundiæ & motibus animi, seq; turbas, rixas, seditiones & bella concitant, unde tandem fit, ut suis possessionibus & facultatibus excutiantur. Contra, qui mites sunt, & propter Deum iracundiæ imperant, & tolerant iniurias, retinent & sua bona, & conscientiam tranquillam. Sed quæras erga quos exhibenda sit mansuetudo?

Erga omnes homines.

Tum erga eos, qui foris sunt, tùm uerò maximè erga domesticos fidei. Item, tàm erga inimicos, quàm amicos, ut appareat nos esse filios Patris cœlestis, qui solem suum exoriri sinit super malos & bonos, & pluuiam mittit super iustos & iniustos. Matth. 5

Eramus enim aliquando & nos insipientes, inobedientes.

Svprà præcepit, ut simus modesti & æqui, ostendentes omnem mansuetudinem erga omnes

omnes homines, ne cùm alios errare & peccare uidemus, mox incandescamus, nec aliorum errata ferre uelimus, Hic additur ratio eius de mansuetudine præcepti. Ideo inquit: Oportet nos ferre aliorum errata & infirmitatem, quia nos quoq; eramus aliquando stulti, incredduli, errantes, Consideratio igitur nostræ propriæ infirmitatis debet nos commonefacere, ut & aliorum errata, moderatius feramus, & est ualde utile præceptum, ad ferendam aliorum infirmitatem, considerare qualis & tu olim fueris, ut & alijs ignoscere possis. Non erant mansueti discipuli Christi, sed impatientes, & uindictæ cupidi, cum excluſi hospitio dicunt ad Christum, Domine, uis, dicamus ut ignis descendat de Cœlo, & consumat illos, Increpantur igitur à Domino. Hic si Apostoli considerassent, quales ipsi olim fuissent, fuissent mansuetiores, & non ita uindictæ cupidi.

Propria infirmitas consideranda, ut & aliorum infirmitatem moderatius feramus.

Luc. 9

Aliquando.

SCilicet, cum nondum illuxisset benignitas, & humanitas seruatoris nostri Dei, iam uoce Euangelij per totum terrarum

rarum orbem accensa, cum adhuc sederemus in tenebris & in umbra mortis.

Eramus ἀνόητοι.

Stulti qui sint.

INsipientes, stulti, uerum Deum & Filium eius Dominum & seruatorem nostrum ignorantes. Hos enim scriptura stultos uocat, etiamsi alioqui secundum mundum sint sapientissimi. Euangelium enim non est sapientia huius seculi, neq; principum huius seculi, qui abolentur, sed est sapientia Dei in mysterio, quæ est recondita, quam præfiniuit Deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo principum huius seculi cognouit.

1. Cor. 2

ἀπειθεῖς.

INcreduli, inobedientes scilicet Euangelio, utrunq; enim significat, quasi dicat, tu uis subditos tuos stricto iure cogere, ut tibi obediant, neq; uis ulla erga ipsos uti mansuetudine, sed cogita, qualis tu olim quoq; fueris, antequam uerum Deum cognouisses, tum quoq; moderatius feres, si qui in te peccabunt, & eris mansuetior, non tam durus et ferox contra errantes.

πλανῶ

πλανώμενοι Errantes.

Id est, ignorantes ea quæ sunt fidei, uarijs erroribus & opinionibus impliciti. Eramus sine uerbo Dei, quod est lucerna pedibus, & lumen semitis, alius colebat Psal. 119 Iouem, alius Mercurium, alius Dianam Ephesiam, nullus erat, qui non erraret, in ueri Dei cultu & inuocatione, quia eramus extra Christum. Extra Christum autem esse, est esse extra uiam in errore, extra ueritatem in mendacio, extra uitam in morte esse, Sic Esaiæ 53. dicitur: Omnes nos quasi oues errauimus, unus quisq; declinauit in uiam suam. Sic hoc tempore, ante lucem Euangelij accensam quoq; omnes errabamus, alius inuocabat sanctam Catherinam, alius S. Barbaram. Quare agnoscens ueteres tuos errores, sis erga errantes alios mansuetior, benignior & humanior, qualis Deus erga te ouem errantem fuit. Extra Christū esse quid sit.

Seruientes desideriis & voluptatibus uariis.

Hoc

Seruus desiderioru.

Hoc peßmũ eſt, quod dicit: ſeruientes deſideriis & uariis uoluptatibus. Quanquam enim hoc magnum malum ſit, quod deſideria ſunt in nobis, quæ prorſus omnia abeſſe oportebat, uxta præceptum: Non concupiſces, tamen hoc peßimum eſt fieri ſeruum & captiuum deſideriorum & uoluptatum.

Sancti reſiſtunt non ſeruiunt deſideriis,

Seruiunt Sancti in ſe quoq; deſideria & uaria peccata, ſed illis reſiſtunt, injciunt frenum, & illas ferocientes beſtias, catenis & uinculis cohercent, nec ſe captiuari, & in ſeruitutem redigi patiuntur, ita ut non peccatum, ſed Spiritus ſanctus in mortali corpore ſuo regnet.

Diſcrimen inter pios & impios.

Eſt itaq; hic indicatum diſcrimen inter pios & impios, pij repugnant & reſiſtunt deſideriis & uoluptatibus, & fugiunt omnes cauſas & occaſiones deſideriorum & uoluptatum, quanquam ea prorſus in hac uita abijcere & euellere non poßint, mortificant tamen peccata, cum ſepulti ſint, una cum Chriſto per baptiſmum in mortem, ut quemadmodum excitatus eſt Chriſtus ex mortuis per gloriam patris, ita & ipſi in nouitate uitæ ambulent.

Rom. 6

Impij

Impij autem non repugnant illis, sed fiunt serui & captiui desideriorum & uoluptatum, quærunt item occasiones & causas uoluptatum, uiuunt in otio, in securitate, in contemptu Dei, sine amore, timore, & inuocatione Dei, helluantur, non castigant corpus suum, neq; in seruitutem redigunt, sed sectantur uoluptates & desideria carnalia. Impij sunt serui desideriorum.

Tales sunt omnes per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti non renati, in quos Spiritus sanctus sanctificator & rector uitæ per Iesum Christum seruatorem nostrum, non est effusus, nec ambulant secundum spiritum, sed secundum carnem, nec deponunt iuxta priorem conuersationem ueterem hominem, qui corrumpitur iuxta concupiscentias erroris, nec renouantur spiritu mentis suæ, nec induunt nouum hominem, qui iuxta Deum conditus est per ueram iustitiam & sanctitatem, Sed manent & perseuerant in uetustate carnis, & in his uitijs & peccatis, quæ ordine sequuntur. Quales sint non renati. Rom. 8. Ephe. 4

ἐν κακίᾳ in malitia.

Κακία apertam malitiam & petulantiam significat. Nam πονηρία significat prauitatem & cupiditatem nocendi, tectam.

καὶ φθόνῳ διάγοντες, στυγητοὶ μισοῦντες τε ἀλλήλους.

Inuidia agentes, Id est, ut hic Theophylactus interpretatur, in malitia, hoc est, in uindictæ cupiditate, & inuidia commorantes semper, ac ueluti uitam in habentes, unde & digni mutuo odio eramus, ut inuicem nos odio moreremus, idq; non immerito, nam ex inuidia odium nascitur.

Tales eramus olim ante conuersionem ad Christum, priusquam eius benignitas & humanitas per uocem Euangelij nobis appareret seu illucesceret, digni scilicet odio, ira Dei, & æternis pœnis. Quando autem &c.

ὅτε δὲ ἡ χρηστότης καὶ ἡ φιλανθρωπία ἐπεφάνη τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ.

Constructio textus.

QVidam putant hic esse orationem defectiuam, sed apparet integram orationem esse, si sic cõstruas. Quando autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei, saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Saluatorem nostrum, non ex operibus iusticiæ, quæ fecimus nos, Sed secundum suam misericordiam, ut iustificati gratia

ipsius

ipsius hæredes simus secundum spem uitæ æternæ.

Est autem hæc sententia, Etsi eramus aliquando insipientes, increduli, errantes, seruientes desiderijs & uoluptatibus uarijs &c. digni odio & ira Dei, ac æternis pœnis ut supra dictum est, tamen ea est χρηστότης καὶ φιλανθρωπία, bonitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, in uoce Euangelij nobis ostensa, ut qui indignos & æternas pœnas commeritos, credentes uoci Euangelij, ab his omnibus peccatis & æternis pœnis saluos fecerit, ita ut remiserit, texerit & non imputarit hæc peccata propter filium pontificem oblatum & interpellantem pro nobis, & quidem per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quo antea Filij iræ existentes, nunc renati Filij & hæredes Dei credentes in Christum, & hoc lauacro in spem uitæ æternæ ab omnibus sordibus peccati ablati, sanctificati & mundati, & simul per Spiritum sanctum in nos effusum, ex ueteri homine in nouam creaturam transformati, & quasi obsignati sumus, & hæc quidem bona, non ex operibus iustitiæ, quæ facimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos faciens tribuit Deus, ut iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem uitæ æternæ, & ita

Sententia huius loci.

1. Cor: 6
Ephe: 5
2. Cor: 3

ita immensa misericordia Dei hæredes vitæ æternæ facti, qui credimus Deo, curemus bonis operibus præesse, obediamus principibus & potestatibus, ad omne opus bonum parati, neminem blasphemantes, non simus litigiosi, sed æqui, omnem ostendentes mansuetudinem, bonitatem, & humanitatem erga omnes homines, qualis nobis Saluatoris nostri Dei in uoce Euangelij bonitas & humanitas apparuit, illuxit & ostensa est.

De his homines qui credunt Deo, sunt commonefaciendi, & in his præstandis confirmandi, Nam hæc sunt bona & utilia hominibus.

Sic coheret textus huius capitis, & hanc esse sententiam Pauli, manifestum est. Cæterum, cum hæc uerba Pauli, quæ iam tractanda suscepimus in die natali Domini nostri Iesu Christi legi & populo proponi singulis annis soleant, diligentius & copiosius enarrabimus hunc locum, ut usui esse possit pastoribus & ministris Ecclesiarum enarratio.

ὅτε δὲ ἡ χρηστότης καὶ ἡ φιλανθρωπία ἐπεφάνη τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ.

χρηστότης. INitio hic uocabula exponenda sunt χρηστός, unde χρηστότης dicitur, qui se beneficum, benignum, facilem ad gratifican-

ciscendum, comen, affabilem, commodum omnibus præbet, qui quibus potest prodest, nocet nemini, qui aliorum morositatem, asperitatem & alia uitia quæ cum benignitate pugnant, ferre, & ingenij bonitate & suauitate mitigare potest, qui neminem calumniatur, qui iniurias propter tranquillitatem publicam, & tolerat & dissimulat, Sic inquit Menander.

ὁ χρηστὸς ὢν πολλαχοῦ σωτήριος.

φιλανθρωπία. Ἄνθρωπος hominem significat, unde φιλανθρωπος, humanus, amans hominum, benignus beneficus erga homines, unde φιλανθρωπία humanitas, Id est, amor benignitas, liberalitas erga homines, Cuius contrarium est, μισανθρωπία odium hominum. φιλανθρωπία.

Vtraq; uirtus dulcissima tribuitur hic filio Dei, Saluatori nostro, bonitas & humanitas, quam dicit apparuisse & manifestatam esse omnibus hominibus, accensa luce Euangelij per totum terrarum orbem.

Bonitas seu benignitas Christi Saluatoris lucet, dum clamans ad se uocat omnes inquiens: Venite ad me omnes qui laboratis & oerati estis, & ego reficiam uos. Dum omnes ad pœnitentiam uocat & recipit, nec uult nullos Bonitas in Christo lucens. Matth. 11. 2. Petri 3

illos perire, dum significat se non uenisse ad uocandum iustos, sed peccatores ad poenitentiam, dum remittit peccata, dum omnes iuuat, omnium morbos tollit, omnibus se comem, benignum, commodum, nulli difficilem, nulli asperum, morosum, iracundum, confugienti ipsum præbet, & ideo hic in terris uiuens, ita bonum & benignum omnibus se exhibet, ut totum genus humanum quocunq; tempore sit futurum, de generatione in generationem, certo sciat, statuat & credat, hanc esse ipsius propriam naturam, ut nil nisi bonitas seu benignitas erga omnes sit, & omnes fide & inuocatione ad se confugientes recipere, iuuare & saluare uelit, & ut sciant omnes, se per

Ephe. 3 illum habere aditum in uno spiritu ad Patrem, & posse iam libere & cum fiducia ad

Heb. 4 Thronum gratiæ accedere, ut consequantur misericordiam, & gratiam inueniant ad oportunum auxilium.

Hanc χρηστότητα bonitatem seu benignitatem Christi seruatoris nostri reuelat & ma-

2. Cor. 4 nifestat uox & lux Euangelij, quoniam Deus est, qui iussit è tenebris lucem illucescere, qui luxit in cordibus nostris ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei, in facie Iesu Christi, & quæ corda hanc lucem admittunt & recipiunt fide iustificata, pacem habent erga

Deum,

Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum Rom. 5
acquiescunt, lætantur & triumphant in Christo saluatore suo.

Altera uirtus est φιλανθρωπια humanitas seu amor Dei erga homines. Humanitas

Primum uero ex uoce & lu- in Christo lucens.
ce Euangelij dilectio Dei & Filij eius, erga genus humanum apparet & manifestatur, quòd cum Filius esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo, sed semetipsum inaniuit, forma serui sumpta, in similitudine hominum constitutus & figura repertus ut homo, humilem præbuit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Philip. 2

Item, quòd factus est particeps nostræ carnis & sanguinis absq; peccato tamen, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est Diabolum, & liberos redderet eos, qui cunq; metu mortis per omnem uitam obnoxij erant seruituti. Heb. 2

Item, quòd non Angelos sed semen Abrahæ, massam humanam assumit.

Item, quòd per omnia fratribus similis redderetur, ut misericors esset, & fidelis pontifex, in his quæ apud Deum forent agenda, ad expiandum peccata populi. Nam ex hoc quod Heb. 2

ipsi contigit tentatum esse, potest & his qui tentantur succurrere.

Item quod ponit animam pro nobis fratribus & amicis suis. Maiorem enim hac dilectionem nemo habet, ut quis animam suam ponat pro amicis suis. Iohan. 15.

Item, commendat suam caritatem erga nos Deus, quod cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit. Rom. 5.

Haec tanta φιλανθρωπία Saluatoris nostri Dei, diligenter expendenda & consideranda est, ut statuas & te ἄνθρωπον hominem, esse indignum & multis peccatis pollutum, Deum φιλάνθρωπον, diligentem genus humanum, uero, non simulato & paterno animo ac affectu complecti & diligere, & non esse illum uoluntatem ut pereas, sed ut conuersus & credens in filium, uiuas & saluus sis, iuxta ipsius grauissimum iusiurandum. Viuo ego nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Ezech. 33

Item, Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam aeternam. Iohan. 3

Hunc filium ideo uoluit assumere humanam naturam, & sibi offerri pro redemptione

& recon-

& reconciliando genere humano, ut esset indubitatus & certissimus testis ac pignus suæ φιλανθρωπίας, suæ dilectionis erga totum genus humanum, & nos singulos, ut appareret, & notum omnibus fieret, adeo esse φιλάνθρωπον Deum, ut proprio Filio suo non pepercerit, sed pro nobis omnibus tradiderit illum, neq; tradidit pro iustis, aut pro amicis, neq; pro quibusdam tantum selectis, sed pro peccatoribus, paruis & magnis, & pro inimicis ac pro OMNIBVS hominibus, neq; ex cuiusquam merito, opere & dignitate, sed ex mera & gratuita gratia & misericordia erga genus nostrum, quod à se ad suam imaginem conditum voluit perire, sed saluare per filium, Ideo sequitur: Rom. 8 Rom. 5

Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.

IMmensa & inenarrabilis χρηστότης καὶ φιλανθρωπία bonitas & dilectio erga homines Dei est, quam humanæ menti alioqui ignotam, reuelat Euangelij doctrina, ex sinu æterni Patris à filio Dei in lucem producta, quæ bonitas & dilectio humani Locus iustificationis.

mani generis hinc etiam commendatur & sit illustrior, quòd non ex operibus iusticiæ, quæ fecimus nos, Sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.

Causa efficiens nostræ salutis.

Ostendit causam efficientem salutis nostræ, non esse nostram propriam iusticiam, nec opera & merita nostræ iusticiæ, quæ fecimus nos, Sed gratuitam gratiam & misericordiã Dei, quod misertus nostri, quos ad imaginem suam condidit, ut dictum est, noluit perire sed saluare per filium. Ita omnis gloriatio operum à nostri iustificatione & saluatione prorsus exclusa est, & omnia tribuenda sunt immensæ gratiæ & misericordiæ diuinæ, Non enim est uolentis neq; currentis, sed miserantis Dei, & conclusit Deus ideo sub incredulitatem OMNES, ut OMNIVM misereretur.

Rom. 3

Etiam iusticiæ opera a iustificatione exclusa.

Psal. 143

Obseruandum autem est, quòd non mala opera sed bona & iusticiæ opera à nostri iustificatione & saluatione excludit, sicuti & Propheta facit, cum inquit: Ne intres in iudicium Cum seruo tuo, quia in conspectu tuo, non iustificabitur omnis uiuens. Deprecatur iudicium Dei seruus sanctus, fide iustificatus, Spiritu sancto renatus & sanctificatus, fidelis & obediens Domino. Item, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis consistet?

sistet? & Iob 9. Si lotus fuero quasi aquis nivis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea.

Ita Paulus, Pharisæus, Nicodemus. Nathanael, Ioseph ab Arimathia iustificantur & salvantur non ex operibus legis vel Cerimonialis vel moralis, quod sunt irreprehensibiles, & viri virtute & iustitia quæ ex lege est præstantes, Sicuti nec Abraham Pater omnium circumcisorum ex operibus iustificatus fuit, Sed hi omnes iustificantur & salvantur, ex sola gratia & misericordia Dei, non imputantis peccata, sed fidem imputantis ad iusticiam, sicut scriptum est; Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iusticiam. Sic Paulus Philip: 3. de se refert, quæ mihi erant lucra, omnia pro damnis duxi, habeoq; pro rejectamentis, ut Christum lucri faciam, utq; reperiar in illo, non habens meam iusticiam ex lege, sed eam quæ per fidem est Christi, quæ est ex Deo iusticiam super fide &c.

Circumcisi quo modo iustificati sint.

Rom. 4

Genes. 15

Philip. 3

Hoc modo omnes qui ex circumcisione semen Abrahæ sunt, non ex operibus iustitiæ quæ faciunt, sed secundum misericordiam Dei iusti & salvi sunt.

Eodem

Præputium habentes quo modo iustificati sint.

Eodem modo Cornelius Centurio, & omnes qui ex præputio & gentibus sunt, non iustificantur nec saluantur ex operibus iusticiæ, quam ipsi sibi iusticiam esse fingunt, ut non iustificatur & saluatur Cornelius, quòd religiosus est, ac timens Deum cũ tota domo sua, præstans Eleemosynas multas plebi, & precans q; Deũ semper, sed iustificatur & saluatur gratia & misericordia Dei, Vbi Petrũ docentem audit & credit Christum pro peccatis suis traditum & excitatum esse propter iustificationem sui, hoc modo omnes gentes qui in præputio sunt, iustificantur & saluantur.

Act. 10.

Act. 10

Duplex iusticia, alia operum seu humana iusticia, alia fidei.

Ita duplex iusticia est, alia operum seu humana iusticia, quam homines ipsi præstare possunt, quæ in opere & facto consistit, qua nullus hominum coram Deo iustificatur & saluatur.

Rom. 4 Psal. 32

Altera iusticia est iustitia seu gratia, seu misericordia Dei, non imputantis peccata, sed fidem imputantis ad iusticiam secundum gratiam & misericordiam, & hæc consistit in fide, accipiente gratiam & misericordiam Euangelio per & propter Christum oblatam, sicuti eodem capite Act: 10. dicitur. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen

nomen eius, omnes qui credunt in eum, siue sint gentes in præputio, siue sint Iudæi ex circumcisione, sine lege & operibus iusticiæ.

Saluos nos fecit.

Credentes iam salui & hæredes uitæ æternæ sunt.

AFfirmat Paulus credentes in Christum quam primum crediderunt mox esse saluos, & Filios & hæredes Dei factos sine ullis operibus iusticiæ. Non igitur ad promerendam salutem ulla opera, ne quidem iusticiæ necessaria sunt, quæ gratis sola gratia & misericordia Dei propter Christum pontificem oblatum, & pro nobis intercedentem donatur, quam primum homo credere cepit in Christum. Ideo dicit nos iam saluos factos esse, sicuti & Rom: 8. inquit: Spe salui facti sumus, Euangelium enim auditum & creditum, est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Nullis operibus opus ad promerendam salutem.

Rom. 1

Exemplum Cornelij.

Itaq; quam primum Cornelius cum domo sua credit uoci Petri, mox obsignatur Spiritu sancto, sigillo salutis & uitæ æternæ, sicuti ibidem Lucas refert: Ad huc loquente Petro uerba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant sermonem. Et Ephe: 1. scriptum est: Audito uerbo ueritatis

Act. 10.

Euangelio

Euangelio ſalutis veſtræ, ſperauiſtis in Chriſto, in quo etiam, poſtea quam credidiſtis, obſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt arrabo hæreditatis noſtræ, in redemptionem acquiſitæ poſſeſſionis, in laudem gloriæ ipſius. Quare ad promerendam ſalutem, ut dictum eſt, nullis operibus iuſticiæ, ſed fide tantum opus eſt, qua, propter Chriſtum donatam tibi ſalutem & uitam æternam, ex ſola gratia & miſericordia Dei, nullo tuo opere aut merito, accipias.

Ad ſalutem promerendam nulla opera ſunt neceſſaria. Rom. 6

Credenti iam ſaluato quid faciendum ſit.

Nihil igitur aliud tibi credenti, iuſtificato & iam ſaluato, & per Spiritum ſanctum obſignato, & per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti abluto & renouato, aliud agendum reſtat, quam ſicut ſupra dixit, ut abnegata impietate & mundanis concupiſcentijs, ſobrie, & iuſte & pie uiuas in præſenti ſeculo, expectans beatam illam ſpem & apparitionem gloriæ magni Dei, ſicuti & Chriſtus Lucæ 12. docet: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ accenſæ & uos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs; ut cum uenerit ac pulſauerit, confeſtim aperiant ei &c.

Item 1. Iohan. 3. Nunc filij Dei ſumus & nondum apparuit id quod futuri ſumus, ſcimus autem

autem, quòd si apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum, sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, purificat se, sicut & ille purus est.

Hæ sententiæ omnes testantur, nos iam fide sola, gratia & misericordia Dei propter Christum, sine ullis operibus iusticiæ, esse salvos, sed hoc necesse est, ut in hac iustificatione & saluatione perseueremus usq; in finem, ne, sicuti antea eramus, iterũ fiamus insipientes, increduli, errantes, seruientes desiderijs & uoluptatibus uarijs, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Nam ab his peccatis benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei apparens, credentes saluos nos fecit, Danda igitur opera est, ut milites bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam, ne ea repulsa circa fidem, & salutem naufragium facias. Ne ut sus lota, reuertaris ad uolutabrum cœni. Qui enim perseuerauerit usq; in finem, saluus erit. Neq; enim datur corona uitæ nisi fideli usq; ad mortem Apoca. 2. Et Christi participes facti sumus, si fane initium substantiæ usq; ad finem firmum tenuerimus &c. Heb. 3.

Perseuerandum esse in iustificatione & saluatione.

1. Timoth. 1.

2. Pet. 2.

Per lauacrum regenerationis ac renouationis Spiritus sancti.

Dictum

Spiritus sanctus effunditur a Christo in credentes quo obsignantur.

Dictum est supra filium Dei Iesum Christum Saluatorem nostrum in credentes mox effundere Spiritum sanctum suum, sicut testatur historia Cornelij cum domo sua conuersi, quo obsignati, certi de remissione peccatorum, de salute & æterna uita sint, sicut I Rom. 8. scriptum est: Spiritus testatur una cum spiritu nostro, quod simus filij Dei, quòd si Filij, igitur & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

Altera obsignatio.

Ad hanc obsignationem, quæ intus in corde fit, accedit etiam altera, quæ fit per lauacrum regenerationis & renouationis, signum externũ, incurrens in oculos, per quod Spiritus sanctus in credentibus & baptisatis, ita efficax est, ut totum hominem regeneret & renouet, & describuntur hic ordine trium personarum diuinitatis, Patris, Filij & Spiritus sancti operationes, in saluando homine.

Opera trium personarum diuinitatis in saluando homine.

Est enim magnum & difficile opus, hominem perditum iterum saluare, ideo tota trinitas in eo opere occupata est.

Pater.

Æternus Pater sola gratia & misericordia sua, qua hominem opus suum complectitur, & Filij obedientia & deprecatione

tione motus, iustificat & saluat hominem, non imputando peccatum, sed iusticiam, sine hominis merito aliquo.

Æternus Filius factus pro homine de precator, dat semetipsum, ut supra dictum est, ut hominem redimat ab omni iniquitate, & reconciliet Deo, ut placatus eternus Pater, secundum suam misericordiam, recipiat & saluum faciat hominem, sine hominis merito. 2 Filius.

Æternus Spiritus sanctus procedens à Patre & Filio, effunditur à filio Iesu Christo Domino & Saluatore nostro in cor fide purificatum & iustificatum, qui per verbum & baptismum ita est efficax, ut totum hominem regeneret & renouet, ut qui antea in peccatis conceptus & natus, Filius ire erat, iam credens verbo & per lauacrum undam sanguinis Christi ab omnibus sordibus peccatorum ablutus & mundatus, & Christum induens immensa misericordia sine suo merito & iusticiæ operibus, sit Filius & hæres Dei, cohæres autem Iesu Christi, sicut hic dicitur: 3 Spiritus sanctus. Ephe. 5 Psal. 55 Ephe. 2 1. Ioh. 5 Galat. 3 Rom. 8

Vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.

Opus Spiritus sancti primum in saluando homine.

HOc primum opus Spiritus sancti est in homine saluando, REGENERATIO, Cuius scriptura sepe mentionem facit, ut Esa. 46. Audite me domus Iacob, & residuum domus Israel, Qui portamini à meo utero, qui gestamini à meo uulua, ubi Deus ipse uerbum & Euangelium suum, matrici & utero, in quo gestantur infantes nascendi, comparat. Discentes igitur Euangelium concipiuntur & gestantur in hoc utero Dei, donec credant, ibi renascuntur,

1. Cor. 3 & aluntur potu lactis, donec crescant in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenæ

Ephe. 4 adultæ Christi, ut non amplius sint pueri.

Iohan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu &c.

1. Pet. 1. Renati non ex semine mortali, sed ex immortali, per uerbum uiuentis Dei, & manentis in æternum.

1. Cor: 4. Per Euangelium uos genui.

Ad Philemonem, Rogo pro Filio meo, quem genui in uinculis meis, Onesimo.

Iacob. 1. Voluntarie genuit nos uerbo ueritatis.

Secundum opus Spiritus sancti in homine iustificando.

SEcundum opus, quod in saluando homine efficit Spiritus sanctus

& ad

& ad quod à filio Dei effunditur, est RENOVATIO, Necesse enim est, cum, qui fide & gratia Dei iustificatus & hæres uitæ æternæ factus est, deponere iuxta priorem conuersationem ueterem hominem, qui corrumpitur iuxta concupiscentias erroris, renouari uero spiritu mentis, & induere nouum hominem, qui iuxta Deum conditus est, per iusticiam & sanctitatem ueritatis (Nam in Christo Iesu, neq; circumcisio quicquam ualet, neq; præputium, sed noua creatura) & quia homo hoc suis uiribus ut renouetur & sit noua creatura præstare non potest, ideo in fide iustificatum filius Dei, Spiritum sanctum suum effundit, ut is auxilietur infirmitatibus nostris, quo possimus exuere ueterem hominem cum factis suis, ira, indignatione, malitia, maledicentia, stupro, immunditia &c. Et induere nouum, qui renouatur ad agnitionem & imaginem eius qui condidit illum. Ephe. 4 Galat. 6 Coloss. 3

Accendit igitur Spiritus sanctus sanctificator & renouator motus sibi similes, quæ Paulus uocat fructus spiritus, ut sunt caritas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia. Galat. 5

Ita tota Trinitas operosa & occupata est in saluando homine, unde præcipue Tota trinitas occupata in saluando homine.

χρηστότης καὶ φιλανθρωπία, benignitas & humanitas apparet & lucet Saluatoris nostri Dei, Patris, Filij & Spiritus sancti.

Patris opus. Patris opus est misereri, non imputare, sed remittere peccata, & imputare iustitiam, exaudire & recipere, & saluare reconciliatos per & propter filium.

Filij opus. Filij opus, sunt redemptio, reconciliatio, deprecatio, intercessio &c.

Spiritus sancti opus. Spiritus sancti opus, in saluando homine, est regeneratio & renouatio, ut quanquam opera Trinitatis ad extra sint indiuisa, seruanda tamen sit cuiusq; personæ proprietas.

Pater efficax. Pater est efficax, sed per Filium & Spiritum sanctum.

Filius, Filius mittitur à patre, ut sit redemptor & reconciliator, deprecator & intercessor.

Spiritus sanctus. Spiritus sanctus mittitur & effunditur à Patre per Filium, ut sit regenerator & renouator, & rector hominis per Filium redempti & reconciliati, sicuti Psalmo 32. dicitur: Intellectum tibi dabo, & docebo te in uia quam gradieris, oculo meo te regam.

Et hic

Et hic dicitur, Quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Saluatorem nostrum. Pater effundit per Filium Spiritum sanctum.

QVANQVAM autem non sint hæredes uitæ æternæ, nisi per Spiritum sanctum renati & renouati, iuxta dictum Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu non potest introire in regnum Dei, tamen firmissime tenendum est, per & propter hanc regenerationem & renouationem hominem non esse iustum, nec hæredem uitæ æternæ, sed esse iustum, saluum & uitæ æternæ hæredem gratia & immensa misericordia Dei, fide propter mediatorem, & illius uiuæ obedientiam meritum & intercessionem, Quia regeneratio & renouatio in hac uita tantum inchoatur, perficienda post resurrectionem mortuorum, ubi Deus erit omnia in omnibus. Nam in hac uita incipimus transformari, ad imaginem Dei à gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu, crescente subinde nouitate Spiritus, Cuius in hac uita primitias tantum non decimas accipimus, Igitur nouitas uitæ, cum sit imperfecta, non potest opponi iudicio Dei, Ideo clamat Propheta iustificatus & renatus, & fideliter Deo seruiens: Ne intres in iudicium cum seruo tuo, Quia in conspectu

Non sumus iusti propter regenerationem aut uitæ nouitatem. Iohan. 3

Rom. 5

2. Cor. 4

tuo non iustificabitur omnis uiuens. Sic & ad Philippenses scribit: Non quod apprehenderim aut iam perfectus sim, sed sector si etiã apprehendam, quatenus & apprehensus sum à Christo Iesu, & quia adhuc in hac uitæ nouitate imperfecta est, & opera iustitiæ quæ facimus nos, adhuc sunt polluta & sordida, Ideo toties hic repetitur & inculcatur uox gratiæ & misericordiæ, cum inquit: Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Item, Vt iustificati GRATIA ipsius hæredes simus, ut sciamus & certo credamus, non propter nostra opera aut merita, non propter regenerationem & renouationem Spiritus sancti, nos iustificari & saluari, sed per gratuitam gratiam & misericordiam Dei, & ut dictum est, propter meritum & obedientiam unius filij Dei promissoris & intercessoris nostri, sicuti & Ephesios 2. manifestis uerbis idem docet, cum inquit: Deus qui diues est in misericordia, propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, etiam cum essemus mortui in delictis conuiuificauit nos una cum Christo (per

Bona opera prorsus excludi a iustificatione & saluatione hominis, quoad meritum.

Ephe. 2

GRATIAM

GRATIAM estis seruati) simulq; cum eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit in-ter cœlestes in Christo Iesu, ut ostenderet in seculis superuenientibus eminentem opulen-tiã GRATIÆ suæ, benignitate erga nos per Christum Iesum. GRATIA enim estis seruati per fidem, idq; non ex uobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur, nam ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit Deus, ut in eis ambula-remus.

Sumus igitur quidem opus Dei, conditi in Christo Iesu ad opera bona, ut in eis ambu- Ephe. 2
lemus, sed propter hæc opera & hanc ambu- Rom. 8
lationem, non sumus iusti nec hæredes uitæ æternæ, sed sola GRATIA & misericor-dia diuina, propter Christum pontificem pro nobis oblatum & interpellantem.

Ambulandum itaq; in bonis operibus & iuxta spiritum non secundum carnem est, ijs, qui fide & per baptismum insiti sunt Christo, sed non gloriandum nec confidendum illa ambulatione & bonis operibus, sed sola GRATIA & misericordia Dei est, & Chri-sti merito.

Ambulandum in nouitate uitæ est omni- Rom. 6
no, sed tamen firmiter credendum est, nos Rom. 5

Rom: 5 gratia Dei & sanguine Christi iustificatos, seruari per eum ab ira, non propter uitæ nouitatem.

Matth. 19 Obediendum omnino Deo est, & mandata eius uolentibus in uitam ingredi seruanda sunt omnibus pijs, & tamen statuendum est, quòd quemadmodum per inobedientiam uniu[s] Rom: 5 hominis, peccatores constituti fuimus multi, ita per obedientiam VNIVS, iusti constituentur multi, non per nostram obedientiam, quæ in hac uita imperfecta est.

1. Cor: 9 Currendum, pugnandum, militandum
1. Timo. 1 omnibus pijs & fide iustificatis est, sed scien-
Rom: 9 dum est premium & coronam iusticiæ &
Rom: 6 uitæ æternæ, non esse currentis, pugnantis &
militantis meritum, sed gratiæ & miserentis
Heb: 12 Dei gratuitum donum, donatum propter fidei ducem & consumatorem Iesum Christum Dominum nostrum.

Tit: 2 Omnibus pijs abneganda est impietas & desideria secularia, & sobriè, & iustè & piè uiuendum in hoc seculo, & sic expectanda est beata spes & apparitio gloriæ magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi, & æterna uita expetenda est, sed non, sicut dictum est, ut meritum, quòd sobriè, iustè & piè uixeris in hoc seculo, sed ut donum ex gratia & misericordia Dei propter Christum donatum.

Iustificati

Iustificati enim gratia Dei sumus hæredes uitæ æternæ, Neq; ex operibus iusticiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit &c. sicuti & Propheta Psal: 6. precatur, Saluum me fac propter misericordiam tuam, quasi dicat, non propter opera iusticiæ, quæ feci.

Galat: 6

Vt metas uitam æternam, necesse est te prius in hac uita seminare per spiritum, & tamen non est seminantis, neq; plantantis aut riganris, sed Dei dantis incrementum, & ex gratia donantis messem uitæ æternæ.

1. Cor: 3

CONFVTATIO.

DIcat hic aliquis. Nihil ergo tribuis bonis operibus quæ tanta seueritate exigit Deus, & Paulus in hac, quamquam breui Epistola toties præcipit? Respondeo. Nihil tribuo operibus bonis, quo ad meritum reconciliationis, redemptionis, remissionis, iustificationis, donationis Spiritus sancti & uitæ æternæ. Nam hæc sunt bona ex mera gratia & misericordia diuina promissa, & propter filium Dei & illius meritum donata, maiora quam quæ nostris sordidis & adhuc imperfectis bonis operibus promereri possumus. Quinimò & illud gratiæ & misericordiæ diuinæ est, quòd uitam æternam tanquam

Obiectionis confutatio.

Quo usq; nihil tribuendum bonis operibus.

Gratiæ est non meritum promissio uitæ æternæ.

mercedem bonis operibus promittit, quæ certe ex debito aut merito nulli datur, cum totum debitum, quòd à nobis à Deo exigitur, præstare & persoluere nemo possit. Quia omnibus cum tota Ecclesia, quamdiu in hac uita uiuimus, semper precandum est, Dimitte nobis debita nostra, *Tunc enim debitũ persoluitur, quando quòd persolui non potest, remittitur. Et quia filius Dei pro nobis, qui soluendo non eramus, totum debitum persoluit, ideo iam propter ipsum, credentibus & petentibus debitum remittitur.*

Non igitur ex merito & debito, sed ex sola gratia & misericordia diuina, donantur supra enumerata bona, sicuti & Christus Lucæ 17. inquit: Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt uobis, dicite, serui inutiles sumus, quòd debuimus facere, fecimus, Nihil autem meretur debitor. Idem docet parabola Matth. 20. de mercenarijs conductis in uineam, quibus non ex merito, sed ex gratia merces redditur.

Vita æterna merces secundum gratiam.

Quòd itaq; uita æterna merces bonorum operum appellatur, intelligendum est uocari mercedem secundum gratiam seu donum, seu compensationem, non secundum debitum & meritum. Donum enim Dei est, uita æterna,

Rom. 6

per

per Dominum nostrum Iesum Christum, non meritum nostrum.

Instet & urgeat aliquis latius, quid dicet, Respondes ad hoc dictum Christi: Prodibunt qui bona fecerunt, in resurrectionem uitæ, qui uero mala egerunt, in resurrectionem condemnationis. Et ut Athanasius in suo symbolo inquit: Qui bona egerunt, ibunt in uitam æternam, qui uero mala in ignem æternum. Iohan. 5

Item, Rom: 2. Deus reddet unicuiq; secundum opera sua, his quidem qui perseuerantes in benefaciendo, gloriam & honorem, & immortalitatem, quærunt, uitam æternam, His uero, qui sunt contentiosi, & qui ueritati quidem non obtemperant, sed obtemperant iniusticiæ, uentura est indignatio & ira, afflictio & anxietas aduersus omnem animam hominis perpetrantis malum &c. Ergo uita æterna datur ex bonorum operum merito & non ex gratia.

RESPONDEO, Christus & Paulus & alij similes loci loquuntur de ijs, qui fide ex gratia & misericordia Dei gratis sine operibus & suis meritis propter Christum iustificati, recepti in gratiam, filij & hæredes Dei, ac iam salui facti sunt, & Christum ac Paulum, & alios similes locos loqui de ijs qui fide

fide nitente gratia & misericordia Dei promissa propter mediatorem, iustificati & salui facti sunt, manifestum est inde, quòd soli isti sunt bonæ arbores, quæ bonos fructus producunt. Nam quicquid non fit ex fide, peccatum est. Item, Sine Fide impossibile est placere Deo. Non enim placent ullorum quantumuis speciosa opera, sine Fide & agnitione mediatoris, iuxta dictum Petri: Offerte spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum, quia per hunc solum pontificem & mediatorem habemus aditum in spiritu ad Patrem.

Rom: 14
Heb: 11
1. Pet: 2
Ephe. 2

Perseuerandum in gratia fide apprehensa

Vult igitur & Christus & Paulus iustificatos gratia & fide apprehendere gratiam & misericordiam diuinam, factos iam saluos & hæredes Dei, Item per Spiritũ sanctum regeneratos & renouatos manere in hac gratia, hæreditate uitæ æternæ & salute donata propter Christum, militare bonam militiam, habentes fidem & bonam conscientiam, non iterum eam effundere, non repellere tanta bona donata, non circa fidem naufragium facere, non lapsibus contra conscientiam exutere fidem & Spiritum sanctum, Sed perseuerare in fide & Fidei & Spiritus sancti seu iusticiæ fructibus. Ideo inquit Paulus: Reddet uitam æternam his, qui perseuerant, in benefaciendo.

1. Timoth: 1

Non

Non enim qui cepit gratia iuſtificari & in-
ſticiæ ac pœnitentiæ dignos fructus produ-
cere, Sed qui in ijs perſeuerauerit uſq; in fi-
nem, hic ſaluus erit. Matth: 24

Nam, ut Ezechielis 33. *ſcriptum eſt:* Iu- Ezechiel: 33.
ſticia iuſti non liberabit eum, in quacunq; die
peccauerit, & impietas impij non nocebit ei,
in quacunq; die conuerſus fuerit ab impietate
ſua, Et iuſtus non poterit uiuere in iuſticia
ſua, in quacunq; die peccauerit, Etiamſi dixe-
ro iuſto quòd uita uiuat & confiſus in iuſti-
cia ſua fecerit iniquitatem, omnes iuſticiæ
eius obliuioni tradentur & in iniquitate ſua
quam operatus eſt, in ipſa morietur.

Hanc eſſe mentem Pauli hoc loco ad Ti- Mens Pauli.
tum & Roma. 2. oſtendunt manifeſte eius
uerba. Loquitur enim de ijs, qui gratia &
fide iuſtificati, hæredes uitæ æternæ iam ſalui
facti ſunt. Hos non uult confiſos ſua iuſticia
facere iniquitatem, eſſe ſeditioſos aduerſus
principes & Magiſtratum, blaſphemos, liti-
gioſos, præfractos, contumaces, ſed perſeue-
rare in gratiæ, fidei, iuſticiæ, & Spiritus ſan-
cti fructibus, eſſe ſubditos principibus, dicto
obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe
&c. Eramus enim, inquit, aliquando & nos
inſipientes, increduli, errantes, ſeruientes de-
ſideriis & uoluptatibus uarijs, ſed iam gratia
iuſtificatos

iustificatos & secundum misericordiam Dei saluos factos gratis, alia uita, alij mores decent, conuenientes fidei, gratiæ & misericordiæ, & uoluntati Dei, & Spiritui sancto regeneranti & renouanti nos.

Promittitur uita æterna ut donum ex gratia non ex merito.

Promittit igitur Christus immensa bonitate & φιλανθρωπία sua erga nos perseuerantibus in fide, gratia & iusticia, & facientibus bona (Soli enim ij, qui fide & gratia Dei iustificati sunt, bona & Deo grata faciunt) resurrectionem uitæ seu uitam æternam non ut debitum pro merito, sed ut donum immensum ex gratuita misericordia Dei propter se pontificem pro nobis oblatum & intercedentem nobis donatum.

Iohan. 5

Quanquam autem pleraq; Christi, Prophetarum & Apostolorum dicta, salutem & uitam æternam promittant bonis operibus, fructibus fidei & iusticiæ seu Spiritus sancti, tamen πιστὸς ὁ λόγος, certus, indubitatus, & fide dignus sermo est, Non iustificari hominem ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, nec propter nostra opera, meritam dignitatem dari uitam æternam, tamq; debitum, sed ut donum ex gratia propter Christum donatum fide hoc donum promissum accipientibus, ut supra quoq; dictum est.

Prodibunt

Prodibunt igitur qui bona fecerunt, (iustificati nempe prius fide, & salui facti, filij & heredes Dei, Nam soli iusti & boni, iusta & bona ac Deo grata faciunt. Oportet enim prius arborem esse bonam, quam bonos fructus producat) in resurrectionem uitæ, non ex merito bonorum operum, quæ fecerunt, sed ex gratia & misericordia Dei & solius Christi merito, & tamē necesse est iustificatos, filios & heredes Dei gratia saluatos, facere bona opera, etiamsi non sint merita uitæ æternæ. Nam omnis arbor bona, fructus bonos facit, Mala autem arbor, malos fructus facit. Non potest autē arbor bona malos fructus facere, Neq; arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor, quæ non facit fructū bonum, exciditur, & in ignem mittitur. Igitur ex fructibus fidei, iusticiæ seu spiritus cognoscentur & iudicabuntur, & ita qui bona arbor fuerunt & bona fecerunt, prodibunt in resurrectionem uitæ, ex gratia & misericordia Dei, nullo suo merito, qui uero mala, ibunt in ignem æternum, sua propria culpa & suo merito.

Qui sint futuri hæredes uitæ æternæ.

1. Ionan. 3

Matth. 7.

Quia mala opera cum integre & per se sint mala, & à malis fiant, merentur æternas pœnas.

Cur non ut mala opera æternas pœnas, ita bona non æternam uitam mereantur.

Non autem eodem modo bona opera merentur uitam æternam. Quia boni & iusti non per

per nos ipsos, sed propter Christum fide gratis absq; nostris operibus & meritis sumus, sicuti hic dicitur: Non ex operibus iusticiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Item, Iustificati gratia ipsius hæredes sumus uitæ æternæ.

1. Pet. 2

Item, Quia opera quæ facimus, non per se sunt perfecte bona, sed grata & accepta Deo, propter Christum, cui qui fide & per baptismum sunt insiti, sunt boni & iusti, & bona ac iusta, hoc est, Deo grata faciunt, Quia tales sunt dilecti, propter dilectum. Nec tamen horum bona opera sunt impletio legis, & est tantum inchoata, nondum perfecta obedientia, quæ erit in altera uita. Ideo hæc inchoata obedientia non potest esse iusticia & meritum uitæ æternæ, sicut inquit Propheta, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et Iob. 9. Vere scio, quod non iustificetur homo coram te.

Ephe. 1
Cur sanctorum opera non sint impletio legis.

Psal. 143

Impiorum opera non esse grata Deo.

Alij autem qui extra Christum sunt ne fide ei insiti sunt, non faciunt bona opera, Deo grata, quantumuis speciosa esse uideantur, Quia sine fide impossibile est placere Deo. Et Christus ipse inquit: Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit

Iohan. 15

manserit in uite, sic nec uos, nisi in me manseritis. Ego sum uitis, uos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Quia sine me nihil potestis facere.

Qui & cur quidam fructi sint in uitam æternam.

Quia igitur pij fide insiti uiti Christo, manent in Christo, & ipse in eis, & ferunt fructum multum, ideo tales ibunt in uitam æternam, sed non propter fructus et bona opera sua, quæ produxerunt & fecerunt, sed propter VITEM CHRISTVM, cui insiti fuerunt & in eo manserunt, & ipse in eis, quia nisi ei insiti fuissent, & in ipso mansissent, & ipse in eis, nullos bonos fructus producere, nulla bona opera facere potuissent, ideo uita æterna non est meritum nostrorum operum (cum proprie non sint nostra, sed Christi manentis & operantis per Spiritum sanctum in nobis, quem opulente in nos effudit, & si quod meritum est, totum id Christi est) sed donum Dei per Christum Iesum Dominum nostrum, Sicuti Rom: 6. scriptum est. Manumissi à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum uestrum in sanctificationem, finem autem uitam æternam &c. Item, Qui credit Filio, habet uitam æternam.

Alij autem, inquam, non insiti Christo, aut non in ipso manentes, quia faciunt mala

opera, quantumuis bona & magnifica in ſpeciem eſſe uideamur, quale fuit Sacrificium Cain, aut qualis fuit uirtus & integritas Ariſtidis uel Scipionis, uel Phariſæorum & Hypocritarum, ibunt in ignem æternum, Qui qui non credit Filio, non uidebit uitam, ſed ira Dei manet ſuper eum, Iuſtificati uero ſanguine illius ſeruamur per eum ab ira. Quanto autem magis ibunt in ignem æternum, qui manifeſta opera mala contra conſcientiã fecerunt, ut adulteri, ſcortatores, fures, homicidæ &c.

Rom. 2 Quibus uita æterna reddatur.

Eodem modo reſpondendum eſt ad ſimilia ſcripturæ loca, Reddet unicuiq; ſecundum opera ſua, his quidem, qui perſeuerantes in benefaciendo gloriam & honorem, & immortalitatem quærunt, uitam æternam, Non autem perſeuerant in benefaciendo, nec bona faciunt niſi manentes in Chriſto, & Chriſto manente in eis, & in ipſis operante per Spiritum ſanctum ſuum bona, paſcendo eſurientes, potando ſitientes, operiendo nudos &c. Redditur igitur pro his bonis operibus fructibus fidei credentibus in Chriſtum Filijs & hæredibus Dei, uita æterna donum ex gratia & miſericordia Dei propter Chriſtum Ieſum, non propter hæc bona opera, tanquam merita uitæ æternæ, ſed ut ſit compenſatio, horum bonorum operum, ſicuti

Matt. 25

ſicuti & Chriſtus Matth. 19. promittit, Qui reliquerit domos aut fratres propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitæ æternæ ſortietur hæreditatem, quia tales relinquentes domos propter nomen Chriſti, manent in Chriſto, & Chriſtus in eis, & ſunt Filij Dei, quibus promiſſa eſt hæreditas uitæ æternæ, non quod reliquerint domos, ſed quod fide & renati per Verbum ueritatis, ſint Filij & hæredes Dei. Iohan. 1 1. Pet. 1

His uero qui ſunt contentioſi, & qui ueritati quidem non obtemperant, ſed obtemperant iniuſtitiæ, non credentes in Chriſtum, non paſcendo eſurientes, nec potando ſitientes, non operiendo nudos &c. His inquam, (quia non ſunt in Chriſto, aut ſi fuerunt, non manſerunt in eo, & non Filij gratiæ, ſed iræ ſunt, & quales ipſi ſunt, talia ſunt quoq; opera eorum) uentura eſt indignatio & ira, afflictio & anxietas, aduerſus omnem animam hominis perpetrantis malum, & hi audient triſtiſſimam uocem & ſententiam iudicis Chriſti: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum &c.

Iuſtificati uero gratia ipſius, & per la-

Qui sint futuri hæredes uitæ æternæ.

rum regenerationis & renouationis Spiritus sancti renati & renouati, manentes in Christo, & bona facientes, erunt hæredes æternæ uitæ, & audient dulcissimam & lætissimam uocem & sententiam iudicis, Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum uobis ab exordio mundi, Sed non ex operibus iustitiæ tanquam uitæ æternæ meritis, quæ fecerunt, non ideo quod pauerunt esurientes, potarunt sitientes, nudos operierunt, sed erunt hæredes æternæ uitæ, ut doni per & propter Christum ex gratia & misericordia donati, ut hic inquit Paulus.

Etsi necesse sit iustificatos facere bona opera tamen non propter illa saluantur. Matt. 25 Tit. 3 Philip. 1 Matt. 7 Iohan. 15

Ita etsi gratia iustificatos, & non ex operibus iustitiæ, quæ fecerunt, sed secundum misericordiam Dei saluos factos, Filios & hæredes Dei, benedictos patris Domini nostri Iesu Christi, ut possideant regnum paratum sibi ab exordio mundi, paratos esse, sicut Christus & Paulus præcipiunt ad omne opus bonum, & præesse bonis operibus ad usus necessarios, ut non sint infructuosi, & facere ac producere tanquam bonas arbores fidei & iustitiæ fructus (palmitem enim seu arborem non secutem fructum, tollunt & colligunt, & in ignem coniiciunt & ardent) ut pascere esurientes, si enim non pauisti, ut inquit Ambrosius, occidisti,

dixti, operire nudos &c. oporteat, tamen bona opera non sunt salutis & uitæ æternæ meritum, quæ ut sæpe dictũ est, est donum per Christum Iesum, & simul merces seu compensatio borum bonorum operum, ex gratia & misericordia Dei donatum nobis seruis inutilibus, qui quod debuimus (debet enim creatura creatori naturali obligatione obedientiam) præstitimus et præstitimus quidem nec totũ debitum, cum quotidie nobis omnibus orandum sit, ut reliquum debitum, cum soluendo non simus, nobis debitoribus immensa bonitate et liberalitate remittat, quomodo igitur uitam æternam, bonum infinitum, nostris operibus, nostra adhuc sordida & imperfecta obedientia mereremur?

Conclusio.

POstremo uero sciendum est, ut hic docet Paulus, hanc immensam χρηστότητα καὶ φιλανθρωπίαν bonitatem & humanitatem seu dilectionem Dei erga nos homines uoce & luce Euangelij non ideo apparere & illuscere, ut nos inter nos exerceamus tantum χριστολογίας καὶ εὐλογίας, diligamus uerbis tantum & lingua, & sic decipiamus corda simplicium, sed diligamus opere & ueritate, sicut ipse uere dilexit nos etiam peccatores

Bonitas & humanitas Dei proposita ideo, ut omnes eam sectemur.

Rom. 16
1. Iohan. 3

& inimicos, in cuius dilectionis uerę non simulatæ erga nos, testimonium & pignus misit Filium suum unigenitum propiciatorem pro peccatis nostris. Quare si sic Deus dilexit nos, & nos debemus nos mutuo diligere & cum ipse suam φιλανθρωπίαν, suam dilectionem erga nos homines tanto pignore declarauerit, non debemus inter nos exercere μισανθρωπίαν, odium erga inuicem genus nostrum, Sed secundum misericordiam & gratiam Dei, iustificati & salui facti, ac per Spiritum sanctum renati & renouati, ut Filij & hæredes Dei, debemus hanc χρηστότητα καὶ φιλανθρωπίαν patris nostri qui in Cœlis est, imitari, & exercere inter nos mutuo, & nostris moribus ornare doctrinam Saluatoris nostri, in omnibus OMNES, cuiuscunq; sumus status & ordinis, sexus aut conditionis, ut:

1. Iohan. 4

In Ecclesia sit Episcopus, Pastor, Diaconus seu minister Verbi sine crimine, unius uxoris, non multarum mulierum uir, non scortator, non adulter, habens filios fideles, qui non accusentur, ut sacerdotes Eli Filij, luxuriæ, aut inobedientiæ, Et sit Pastor seu minister Verbi inculpatus, ut Dei dispensator, non superbus, non iracundus, non uiolentus, non percussor, non turpis lucri cupidus.

1. Reg. 2

Sed

Sed hospitalis, benignus, sobrius, iustus, sanctus, continens.

Amplectens eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit, & exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.

Non sit quoq; inobediens, uaniloquus, seductor, mendax, non doceat fabulas & traditiones humanas, sed mandata Dei.

Auditores uero in Ecclesia discant sanam doctrinam & ei obediant, sequantur Exemplar sui Episcopi & Pastoris, præbentem se ubiq; bonorum operum, quod si utriq; fecerint, ornabitur doctrina Christi, & felix status erit Ecclesiæ.

In Oeconomia.

SENES sint sobrij, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia.

ANVS similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo uino seruientes, bene docentes, ut prudentiam doceant adolescentulas, ut uiros suos ament, liberos suos diligant.

ADOLESCENTVLÆ sint prudentes, castæ, domus curam habentes,

benignæ ſubditæ uiris ſuis, ut non blaſphemetur Verbum Dei.

IVVENES ſint ſobrij, modeſti, uerecundi, ueraces, &c.

LIBERI obediant parentibus in omnibus.

Epheſ. 6 Coloſ. 3. PARENTES ne prouocent ad iram liberos ſuos, ſed educent eos per eruditionem & correptionem Domini.

SERVI ſubditi ſint Dominis ſuis in omnibus placentes, non contradicentes, non ad oculum ſeruientes, non fraudantes, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes, ut doctrinam Saluatoris Dei ornent in omnibus.

In Politia.

OMnes ſint ſubditi principibus & poteſtatibus, ut Dei ordinationi & miniſtris Dei. Reddant igitur omnes quod debetur, cui tributum, tributū, cui uectigal, uectigal, cui timorem, timorē, cui honorem, honorē, & ſint parati ad omne bonum opus quod Rom. 13 Magiſtratus præceperit, non autem ad mala opera diuinitus prohibita, non ſint blaſphemi in Magiſtratum, non litigioſi, ſed modeſti, omnem oſtendentes manſuetudinem erga omnes homines.

Magi-

Magistratus & Princeps, ita se erga subditos gerat, ut sit Pater patriæ, ut sit id, quod bonus pater erga liberos & familiam est.

Hæc bona ubi erunt, ibi florebit Ecclesia, œconomia & politia, & ibi dabit Dominus benedictionem, & uitas usq; in seculum. Ita homines abnegata impietate & secularibus desiderijs, sobriè, & iustè & piè uiuendo in hoc seculo, læti expectare poterunt beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei, & salvatoris nostri Iesu Christi & reportare finem fidei suæ, & salutem animarum suarum, cum reuelabitur Iesus Christus 1. Pet. 1. Psal. 133

Ita pulcherrime & sapientissime Paulus in hac breui Epistola ad Titum summam doctrinæ Christianæ complexus est. Primum doctrinam de iustificatione & saluatione hominis, nidelicet, iustificari & saluari hominem, & fieri hæredem uitæ æternæ, FIDE SOLA, hoc est, fiducia gratiæ & misericordiæ Dei, propter mediatorem promissæ, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quo à Christo effuso, credentes Euangelio salutis, obsignantur, qui etiam arrabo hereditatis nostræ est, & testatur una cum Spiritu nostro, quod simus Filij Dei, per quem Summa doctrinæ in hac Epistola. Ephe. 1

etiam clamamus Abba pater. Hæc prima doctrina est.

Doctrina de bonis operibus.

Secunda doctrina, est de bonis operibus seu fructibus fidei & iustitiæ, quæ iustitia est ex fide, cum homini fides sua ad iustitiam imputata est, qualis uita hominis per fidem solam primum iustificati, deinde & per Spiritum sanctum & aquam renati & renouati, in Ecclesia, œconomia & politia per omnes status & ordines esse debeat, ut letus expectare & expetere possit, aduentum iudicis uiuorum & mortuorum magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi.

Aurea igitur hæc Epistola, & preciosa Margarita est, quæ omnibus hominibus decet esse charissima & notissima, Ideo & Paulus ipse doctrinam huius Epistolæ nobis commendat, his uerbis, quæ sequuntur.

πιστὸς ὁ λόγος, fidelis sermo est, & de his uolo te confirmare, ut curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo, hæc sunt bona et utilia hominibus.

πιστὸς

Πιστὸς ὁ λόγος, Hic sermo, seu doctrina hæc, hominem iustificari & saluari, & esse hæredem uitæ æternæ absq; operibus, gratis, fide sola, ex gratia et misericordia Dei, propter mediatorem, Deinde renasci & renouari per Spiritum sanctum, et sic iustificatos ac renatos debere producere fructus iustitiæ et Spiritus effusi in eos, est certa & indubitata doctrina Dei, digna fide, cui sine hæsitatione omni, omnes certo credere & possunt et debent, cum habeat testimonium omnium Prophetarum, sicuti & Petrus Acto: 15. ait: Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Item Rom. 3. Nunc absq; lege iustitia Dei manifestata est, dum comprobatur testimonio legis & Prophetarum. Iustitia uero Dei per fidem IESV Christi in omnes, & super omnes eos qui credunt.

Idem testantur omnes Prophetæ et Apostoli, non remitti peccata credentibus, ut in peccatis contra conscientiam perseuerent, sed ut manumissi à peccato & iustificati, seruiant Deo & iustitiæ, & habeant fructum suum in sanctificationem, finem autem uitam æternam. Stipendium enim peccati mors, donum autem Dei, uita æterna, per Christum Iesum. Rom. 6

Cum

Cum igitur hæc doctrina certo ipsius Dei uox & mandatum sit, ut iustificati gratia & hæredes secundum spem uitæ æternæ, abnegata impietate & secularibus desiderijs, sobriè, iustè & piè uiuentes in hoc seculo, expectent beatam spem, & apparitionem gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi.

περὶ τούτων βούλομαί σε
διαβεβαιοῦσθαι &c.

De his uolo te confirmare.

QVasi dicat, Hanc doctrinam, quæ certo Dei uox est, uolo te assidue docendo, repetendo & inculcando confirmare & asserere, ut in auditorum animis & cordibus radices firmas habeat fixas, sicut Coloss: 2. inquit: Ambulate in Christo radicati & superædificati in illo, καὶ βεβαιούμενοι & confirmati in fide, ubi eadem uoce utitur. Nam ubi corda non satis in uera doctrina de Deo radicata & confirmata sunt, ibi homines ut pueri fluctuant, & circumferuntur quouis uento doctrinæ per uersutiam hominum, per astutiam, qua nos adoriuntur, ut imponant nobis. Ideo & Heb: Cap.

Ephe. 4

Cap. 13. sic præceptum est: Doctrinis uarijs ac peregrinis ne circumferamini, καλὸν γὰρ χάριτι βεβαιοῦσθαι τὴν καρδίαν, Bonum est enim gratia confirmari cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Nam non edere carnem suillam aut quicquam commune & immundum in lege prohibitum, non purificat, non confirmat nec stabilit aut uiuificat corda, sed fide purificantur corda & fide ac gratia iustificati habent pacem erga Deum per Dominum nostrum Iesum Christum. Omnia autem munda mundis. Nec regnum Dei esca & potus est, sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto. Act. 15 Rom. 14

Vult igitur βεβαιωμένους confirmatos in fide non esse infrugiferos, sed fidei & iustitiæ fructus producere & curare, ut bonis operibus præsint, sicut hic ait: Philip. 1

De his uolo te confirmare, ut curent bonis operibus præesse qui crediderunt Deo.

Προΐστημι, præsum, præsideo, antecello. Herodotus πάντων προέσας ἐυψυχίᾳ omnes magnanimitate antecellens, Herodianus,

dianus, προεσῶτες Magistratus vocat, & προεσῶτες τῶν πόλεων principes urbium.

Vult itaq; eos, qui crediderunt Deo, non modo ita alios bonis operibus antecellere, ut luceant tanquam luminaria in mundo, & ut alijs sint τύποι & exemplaria uirtutum, sed & ita præesse, ut sint Principes & præsides bonorum operum, qui ad pietatem & uirtutem cæteros cohortentur & urgeant, instent tempestiue, intempestiue, arguant, increpent &c. quod munus præsidum & principum est.

Philip. 2

2. Tim. 4

Hæc sunt bona & utilia hominibus.

Quæ docenda & tradenda sint populo.

HÆc scilicet tradere, repetere & assiduo inculcare & confirmare, ut altas radices, tum in nobis ipsis, tum in alijs agat doctrina de iustitia fidei, Item, de bonis operibus, fidei & iustitiæ fructibus, de dono Spiritus sancti, regenerantis & renouantis pios, de hæreditate uitæ æternæ, & de ijs omnibus commonefacere homines, & eorum mentibus insculpere & infigere, sunt bona & utilia hominibus. BONA, quia grata sunt Sacrificia Deo per Christum Iesum, & qui per hæc seruit Chri-

1. Pet. 2

Rom. 14

ut Christo acceptus est Deo, & probatus hominibus, & hæc habent promissiones præmiorum. Pietas enim ad omnia utilis est, ut quæ promissiones habeat, uitæ præsentis ac futuræ. 1. Timo. 4

VTILIA hominibus, quia hæc credere, & facere ac docere alios prodest utrisq; & credentibus seu docentibus, & alijs discentibus, sicuti & 1. Timo. 4. dicit: Hæc exerce, in his esto, ut tuus profectus manifestus sit in omnibus. Attende tibi ipsi & doctrinæ, persiste in his. Nam id si feceris, te ipsum seruabis, & eos qui te audierint.

Stultas autem quæstiones & Genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita, sunt enim inutiles & uanæ.

SVpra docuit, quæ Ecclesiæ doctoribus & ipsis omnibus, tum in doctrina, tum in tota uita sectanda, urgenda, & perpetuo exercenda sint, fides nempe & fidei seu Spiritus fructus, iam ex aduerso docet, quæ sint fugienda. Quæ sint fugienda.

Sæpe autem repetitur hoc præceptum 1 Timoth. 1. Renuncia quibusdam, ne diuersam sequantur doctrinam, nec attendant fabulis

bulis & genealogijs nunquam finiendis, quæ quæstiones præbent magis quam ædificationem Dei, quæ est per fidem.

Item 1. Timoth. 4. Prophanas & aniles fabulas reijce.

Item 2. Timoth. 2. Prophanas vocum inanitates prætermittito, ad maiorem enim proficient impietatem, Et eodem capite: Stultas & incruditas quæstiones respue, sciens eas parere pugnas.

Stultæ quæstiones. Lyra Esa. 34

Stultæ quæstiones sunt, qualis ista Iudaica quæstio est. Quid Deus faciat in duodecim horis diei? Ad quod respondent, quod in tribus horis primis sedet, & studet in lege, & in tribus secundis iudicat vniuersum mundum, in tribus tertijs pascit totum mundum, in tribus quartis ludit cum Leuiathan, iuxta illud Iob: Leuiathan istum quem formasti ad illudendum eum.

Quærunt item, Quid faciat in duodecim horis nocturnis? & respondent alia similis in fatuitate.

Genealogiæ Fabulæ.

Genealogias, Iudæi, ut Augustinus refert, & Lyra, Zachariæ 5. præter legitimas scripturas, habent traditiones non scriptas, quas memoriter docent, & Deuteron-

sus

sin uocant, ubi dicunt Deum duas uxores ere-
asse, primo homini, ex quibus Genealogias
infinitas texunt facientes infructuosissimas
quæstiones, has autem dicit fabulas.

ET CONTENTIONES. Sic 2. Timoth. 2. idem præceptum repetitur. Hæc admone contestans coram Domino μὴ λογομαχεῖν, ne contendant uerbis, ad nullam utilitatem, ad subuersionem audientium, Tales contentiones & quæstiones stultæ fuerunt olim de Paschate, de ieiunijs, & hoc tempore sunt, An cum sacra facienda sunt, utendum sit ueste alba aut alia? An cum cœna Domini celebratur, utendum sit pane fermentato aut non fermentato? An in sumptione cœnæ, sumentibus standum aut sedendum sit, An mane ieiunis, aut uesperi cœna Domini sumenda sit? Contentiones.

Hæ quæstiones & similes, & olim & hoc tempore ad nihil aliud profuerunt, quam ut pugnas parerent, & accenderent certamina & odia inter docentes ad subuersionem audientium.

Vult igitur Doctores docere ea, quæ sint bona & utilia hominibus, qualia sunt, quæ supra tradidit, de iustificatione hominis & de fide ac iusticiæ fructibus seu bonis Quæ docenda sint.

operibus, & præcepta, quæ pijs omnibus ſeruanda ſunt. In Eccleſia, Oeconomia & Politia, ac in tota uita, quæ ornant doctrinam Chriſti, & Deam glorificant & Eccleſiam ædificant, non ſubuertunt ut ſtultæ quæſtiones & λογομαχίαι.

Hæreticum hominem poſt unam & alteram admonitionem fuge.

Hæretici fugiendi.

OStendimus ſupra Paulum ubi docuit, quæ ſectanda & urgenda pijs ſint, hic in fine Epiſtolæ ex oppoſito docere & monere, quæ fugienda ſint, ut ſunt quæſtiones & Genealogiæ, & contentiones ac pugnæ legales. Hic monet etiam hæreticos homines, falſa dogmata ſpargentes, uitandos eſſe, ne ipſorum conſuetudine & contagio inficiamur, cum illorum ſerma ut cancer ſeu Gangrena morbus ſerpat.

2. Timo. 2

Hæreſis autem ab αἱρέομαι quod eſt eligo nomen habet, & homo Hæreticus dicitur qui à uera & genuina ſententia ſcripturæ Propheticorum & Apoſtolicorum, quam Catholica Eccleſia profitetur deficiens, uel alicuius commodi, uel ambitionis cauſa, alienus & pugnantes cum ſcriptura ſana opinio-

Quis ſit Hæreticus.

nes

res aut ipse fingit & eligit sibi, aut ab alijs inuentas sequitur & tuetur, & semel aut bis admonitus, errorem petinaciter defendit, nec corrigi uult.

Sunt autem duplices, Sanabiles & insanabiles. Hæretici duplices.

SANabiles sunt, qui admittunt admonitiones, commonefacti resipiscunt, abijciunt falsas opiniones & errores, & rursus ueritatis lucem amplectuntur, tuentur & confitentur.

INSANABILES sunt, qui semel aut bis admoniti, tamen in errore manent, & eum petinaciter tanquam Dei uocem defendunt, nec sanari aut corrigi uolunt, sed alios docere & corrigere. Qui Hæretici fugiendi sint.

Isti fugiendi sunt, nec aliqua consuetudo cum eis habenda est, quam diu non abijciunt errorem, iuxta præceptum Pauli 2. Thess. 3. Si quis non obedit sermoni nostro, per Epistolam hunc indicate, & ne commercium habeatis cũ illo, ut pudore suffundatur, Vult talem excommunicari, sed hanc excommunicationem non uult esse Tyrannicam aut hostilem, qualis Pontificia est, sed esse fraternam admonitionem seu correptionem ad ædificationem, ideo addit, μὴ ὡς ἀδελφὸν, sed admonete ut fratrem, ubi eadem uoce utitur, qua hoc loco. Excommunicatio qualis.

νουθεσία. Dicit autem Hieronymus νουθεσίαν commonitionem magis, & doctrinam absq; increpatione significare, ut tales errantes sanabiles, magis docendi quam duriter increpandi sint, sicuti idem Paulus 2. Timo. 2. docet, Seruum Domini non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, propensum ad docendum, tolerantem malos cum mansuetudine, erudientem eos, qui obsistunt, si quando det illis Deus pœnitentiam ad agnoscendam ueritatem, & resipiscant è laqueo Diaboli, capti ab eo ad ipsius uoluntatem, & tales excommunicati, ubi resipiscunt iterum recipiendi & fratrum loco habendi sunt.

2. Cor. 2.

INOBEDIENTES uero, uaniloqui, seductores, qui totas domos sua falsa doctrina euertunt, docentes quæ nõ oportet, turpis lucri aut ambitionis gratia, durius tractandi sunt, quibus oportet obturari os, ut supra cap. 1. ait, & hi increpandi sunt ἀποτόμως sæueriter, ut sani sint in fide, sed ubi post unam & alteram admonitionem in errore perseuerauerint, & prorsus insanabiles fuerint, uitandi sunt omnino.

Præceptum Christi de Excommunicatione.

Apparet autem hic repeti præceptum Christi Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, uade & argue eum, inter te & ipsum solũ, si te audierit, lucratus es fratrem tuum, sin

sin uero te non audierit, adhibe tecum adhuc unum aut duos, ut in ore duorum aut trium testium consistat omne uerbum, quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ, quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi uelut Ethnicus & Publicanus.

Post unam & alteram correptionem deuita.

QVia non sufficit tantum semel hæreticum corripi uel commoneri qui aliquo sit depranatus errore, sed & secunda ei adhibenda est doctrina, ut hic inquit Hieronymus, ut in ore duorum aut trium testium stet omne uerbum. Quare autem post primam & secundam correptionem deuitandus sit, reddit causas, dicēs, quòd subuersus est eiusmodi & peccat, cum sit à semetipso damnatus. Qui enim semel, bisq; correptus audito errore suo non uult corrigi, errare existimat corrigentem, & econtra se ad pugnas & iurgia uerborum parans, cum uult lucrifacere, à quo docetur. Propterea uero à semetipso dicitur esse damnatus, quia fornicator, adulter, homicida & cætera uitia per sacerdotes Ecclesiæ propelluntur. Hæretici autem in semetipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de Ecclesia recedentes, quæ receßio propriæ

Quare hæreticus sit deuitandus.

conscientiæ uidetur esse damnatio. Hæc Hieronymus.

Apparet igitur, Paulum loqui hoc loco de eo, qui prorsus insanabilis & euersus est, suo ipsius iuditio condemnatus, post binas commonefactiones pertinaciter in erro perseuerans, & eum defendens, quia etiam tertio, quarto aut etiam decies talem commonefeceris, qui euersus est & peccat ὢν αὐτοκατάκριτος, frustra commonefeceris & cum eo conflictatus fueris, Semper enim habebit, quod contra opponat, etiamsi absurdum sit, & nullus erit contentionis & rixæ finis.

Qui sint hæretici.

Non igitur omnes Hæretici sunt, qui in aliquo hærent errore, sed qui semel aut bis commonefacti & edocti, pertinaciter defendunt errorem.

Admonitio qualis sit.

Admonitio uerò seu correptio fiat autoritate publica Ecclesiæ & ministerij.

Iubet autem uitare & fugere talem hominem, nec aliam pœnam irrogat, quam ne quis commertium & consuetudinem cum tali homine habeat, Non iubet de uita toli, sed inquit: Hæreticum hominem deuita.

Duplex potestas.

Est enim duplex potestas. Ecclesiastica & politica.

EPISCO-

EPISCOPVS seu minister Euangelij est persona à Deo ordinata, habens mandatum docendi Euangeliũ, & administrandi Sacramenta, uocandi suo loco cum Ecclesia ministros Euangelij, & annunciandi remissionem peccatorum, & puniendi contumaces sine ui corporali sed uerbo, id est, legitima excommunicatione, quæ fiat cum consensu Ecclesiæ.

Quid sit Episcopus.

Scribens igitur Paulus ad Titum Episcopum Cretæ, ministrum uerbi, iubet Hæreticum hominem non deuita tolli, sed uitari, nec commertium cum eo haberi.

POLITICVS MAGISTRATVS est persona ordinata à Deo, ut sit custos honestæ disciplinæ externæ, iuxta utramq; Decalogi tabulam, & pacis, & habet potestatem ui corporali cohercendi contumaces, & interficiendi fomites.

Quid sit Magistratus Politicus.

Quæritur igitur, an Magistratus politicus possit ex hac uita tollere Hæreticum hominem, blasphema & falsa dogmata spargentem, subuertentem totas domos, semel bis commonefactum, nec tamen de errore cedentem, turbantem Ecclesiæ pacem & tranquillitatem, & præbentem etiam causam dissidiorum in politia.

An potestas Politica possit interficere aut Hæreticos.

Primum dicunt quidam, Magistratum non posse punire cogitationes mentis, præsertim cum nec dare assensionem possit, Respondeo, Magistratus externa delicta puniat, ut adulteria, furta, homicidia, non tacitas animi cogitationes. Cogitationis enim pœnam nemo patitur, Ita etiam puniat manifesta dicta blasphema, iuxta præceptum & mandatum Dei, Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur. Est enim Magistratus munus, ne externis dictis blasphemetur nomen Dei.

Cogitationis pœnam nemo patitur.

Leuit. 24

De zyzaniis.

Opponunt & illud de zyzaniis, Sinite utraq; crescere. Vera Responsio est, probibet Christus Apostolis & ministris uerbi, ne illi externa ui aut gladio contra suam uocationem tollant & euellant zyzania quibus satis est uitare & ejicere è societate Ecclesiæ, & habere pro Anathematibus Hæreticos spargentes falsa dogmata.

Consolatio.

Consolationem igitur tradit filius Dei, [illegible] m ait: Sinite utraq; crescere, id est, [illegible] cu[illegible]vite Ecclesiam, non abijcite munus [illegible] desc[illegible]di, etiamsi Diabolus semina errorum doceni[illegible], quæ non poterunt humana diligentia tolli o[illegible]nia. Erit aliqua uera Ecclesia, etiamsi

etiamsi magnæ confusiones semper fuerunt, sunt, & erunt generis humani, inter hos fluctus tamen Cymbam suam filius Dei seruabit. Hæc monet illa Christi concio de zyzaniis, quæ prohibet doctores aliena á suo officio facere, uetat etiam deseri Ecclesiam propter illa tristia spectacula dissensionum, odiorum, & calumniarum.

Quæ pio magistratui necessaria cognitu sint, priusquam Hæreticum puniat.

Interea faciat pius & uigilans Magistratus, ea, quæ sunt sui officij, sciat primum qui uere sit Hæreticus homo, Nam non omnis error statim hæresis est, dignus capitali pœna, teneat & discrimen, inter Hæreticos sanabiles & insanabiles, Item inter eos, qui etsi hæretici sint aliquibus erroribus, tamen eos non spargunt in uulgus, non inficiunt alios, non turbant pacem publicam, & inter eos, qui sua uenena etiam in alios cuomunt, & ut supra dixit, totas domos ac familias subuertunt, nec ullam admonitionem ferre uolunt, sed suos errores pertinaciter defendunt, non sine magna Ecclesiæ perturbatione nec ad pœnam acerbiorem properet, sed quærat saluationem quantum fieri potest Magistratus. Quod si malum immedicabile est, faciat id, quod officij sui ratio postulat.

Quum misero ad te Artemam aut Tychicum, festina ad me uenire Nicopolin.

ABsolutis præceptis, quę ad statum Ecclesiasticum, Oeconomicum & Politicum pertinent, subijcit iam quædam priuata. Monet autem, ut cum ab ipso per Artemam & Tychicum uocatus fuerit Titus, ueniat ad ipsum Nicopolin, quæ Macedoniæ urbs est ad sinum Ambracium, non procul ab Actio promontorio sita, de qua ita refert Strabo, Augustus Cæsar urbi à se ædificatæ uocabulum indidit Nicopolin, id est, uictoriæ ciuitatem & suæ uictoriæ cognomen imposuit, in qua Marcum Antonium ante sinus illius ostium nauali prælio, simul & Ægypti Reginam Cleopatram superarat. Nam & ipsa præsens huic certamini interuiit.

Priuata negocia.

Nicopolis urbs.

Strabo lib. 7.

Ipsa igitur Nicopolis egregiâ incolarum multitudine abundans, amplificatur indies, latos fines habens, & hostilibus omnis spolijs &c. Hæc Strabo, qui illis temporibus sub Augusto & Tiberio imperatoribus uixit.

Zenam

Zenam legisperitum & Apollo sollicite præmitte, ut nihil illis desit.

APpollos egregiam com- Apollos
mendationem habet à Luca Act. 18. ubi inquit: Iudæus quidã Apollos nomine Alexandrinus genere, uir eloquens, deuenit Ephesum, potens in scripturis. Hic comes & σύνεργος Pauli fuit in Euangelij propagatione, & simul cum Paulo Corinthi docuit. Talem & Zenam hunc fuisse ex hoc loco apparet.

Vult autem à Tito hos instrui uiatico & omnibus rebus necessarijs, ut nihil illis desit.

Poterat autem Titus dicere aut cogitare, darem quidem uiaticum & res necessarias lubens, si haberem unde darem, hoc præoccupat Paulus his uerbis:

Discant autem & nostri bonis operibus præesse, ad usus necessarios, ut non sint infructuosi.

QVasi dicat, Quod si ipse eges, nec habes unde des, hortandi sunt nostri, domestici nempe fidei, conuersi ad Christum, eandem fidem nobiscum profitentes,

tes, & commonefaciendi sunt sui officij, ut discant, officium credentium in Christum esse, ut præsint & antecellant cæteros bonis operibus, sine benefici & liberales erga ministros uerbi, quales sunt, Zenas & Appollos, quorum debitores sunt illi, qui ex gentibus ad Christum conuersi sunt. Etenim si spiritualia sua communicauerunt gentibus, debent & hi in carnalibus ministrare illis, Quis enim militat suis stipendijs unquam? Quis plantat uineam, & de fructu eius non edit? aut quis pascit gregem, & de lacte gregis non edit?

Rom. 15

1. Cor. 9

Monui autem supra, uelle Paulum in uoce (præesse) ut ij, qui crediderunt Deo, illi præsint, ut & ipsi bona faciendo tanquam aliorum sint præfecti, & illis præluceant suo exemplo, & reliquam multitudinem ad bene operandum hortentur & excitent.

Ad usus necessarios.

Beneficentia in quos usus conferenda.

VVlt exerceri bona opera, beneficentiam & liberalitatem à pijs, sed non ad luxus, uerum ad usus necessarios, ad gloriam Dei & sanctificationem nominis Dei nimi, ad conseruationem Ministerij, ad propagationem uerbi Dei, ad iuuanda studia honestatis, sine quibus Ecclesiæ non possunt consistere, ad sublenandam inopiam hominum egentium,

egentium, & maximè domesticorum fidei & similes usus necessarios, non ad ædificationem & splendorem & ornatum nimium templorum, non ad uestes auro & argento textas & holosericas, ac lapides præciosos, quibus ustiuntur sacrificuli, altaria, parietes, sanctorum reliquiæ & statuæ, cum interea esuriant & algeant multi egentes homines sancti, in quorum usum non in has pompas & puppas papisticas stultas & pueriles conferri debebant Eleemosinæ, collatæ & collectæ.

Vt non sint infrugiferi.

NAm Palmitem non ferentem fructum, tollunt, & eijciunt foras, & exarescit & colligunt eos, & in ignem conijciunt & ardent, Ne igitur qui crediderunt Deo, & uiti Christo per fidem & baptismum insiti sint, tollantur, eijciantur, exarescant, conijciantur in ignem & ardeant, bonos fructus eos producere ad necessarios usus necesse est, & certæ magna necessitas bene operandi proposita est, ne sis infructuosus, & conijciatis in ignem ac ardeas, & audias uocem & sententiam iudicis horrendam ac tristissimam: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui

Iohan. 15. Pœna non ferentium fructus.

Necessitas bene operandi.

Matth: 25

qui paratus est Diabolo & Angelis eius. Esurui enim, & non dedistis mihi cibum.

Vult enim hic Rex in ipsum credentibus, ex sola gratia & misericordia, & ex nullis operum nostrorum bonorum meritis dare regnum paratum nobis ab exordio mundi, sed non nisi ad se conuersis & agentibus pœnitentiam, & fide accipientibus remissionem peccatorum, & pœnitentiæ & fidei suæ iustitiæ fructus producentibus, Nam scortatores, adulteri, auari in his uitijs perseuerantes, regni Dei hæreditatem non accipient, id quòd exemplum latronis ad sinistram Christi, non conuersi, nec credentis in Christum, sed ipsum irridentis, ostendit, Alter uerò ad dexteram agens pœnitentiam & fide remissionem accipiens, & fidei ac iustitiæ fructus, ut palmes & arbor bona producens, reprehendendo socium irrisorem, & illius contemptum Dei, quanquam in pœna iam hærentis, Item, dum alligatus cruci, Christum intrepidè & manifestè confitetur esse regem datorem iustitiæ & uitæ æternæ, & ita corde credit ad iustitiam, & ore confitetur ad salutem & propositum habet, si ei diuturnior uita concederetur, non amplius

Quibus dabitur regnum paratum.

1. Cor. 6
Ephes. 5
1 Timoth. 1.
Gal. 5

Exemplum duorum latronum.

Rom. 10

amplius latrocinandi, sed ferendi fructus iustitiæ, ut palmes & arbor bona, recipiatur in Paradisum, & sit hæres uitæ æternæ, sine ullo suorum bonorum operum merito, gratis sola misericordia, credens in regem autorem uitæ & iustitiæ immortalem, quanquam moriturum, reuicturum tamen ex morte, nec receptus & donatus æterna uita fuisset, si ut socius latro sine conuersione, sine fide & fidei fructibus fuisset, & propositum latrocinandi & mala opera facicndi habuisset.

Nemo enim corona æternæ uitæ ornatur, nisi abiecerit peccandi propositum, & militauerit bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam, & in hac militia perseuerauerit usq; in finem, ut hic latro in fine uitæ suæ conuersus & in hac militia perseuerans coronatur, iuxta dictum Christi: Qui perseuerauerit usq; in finem, Matth. 24
salus erit.

Non enim iustitia iusti liberabit eum, in quacunq; die peccauerit, & impietas impij Ezech. 33
non nocebit ei, in quacunq; die conuersus fuerit ab impietate sua. Et iustus non poterit

uiuere

tiuere in iustitia sua, in quacunq; die peccauerit, etiamsi dixero iusto, quòd uita uiuat, & confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur, & in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur, si autem dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritq; iuditium & iustitiam, & pignus restituerit ille impius, rapinam reddiderit, in mandatis uitæ ambulauerit, nec fecerit quicquam iniustum, uita uiuet, & non morietur. Omnia peccata eius, quæ peccauit, non imputabuntur ei, quia iam facit iudicium & iustitiam, ideo uita uiuet, Ezechielis 33.

1. Iohan. 3 Rom. 6

Vult enim Deus iustum iustitiæ non iniustitiæ fructus producere, etsi non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, & ut hic inquit Paulus, nos non esse infrugiferos, præsertim cum iustitia nostra & uita æterna non sit meritum nostrum, sed donum Dei per Christum Iesum Dominum nostrum, ideo manumissi à peccato, Serui autem facti Deo, habetis fructum uestrum in sanctificationem, finem autem uitam æternam, Rom. 6.

Producen-

Producentes igitur iustitiæ fructus, pro hoc summo dono æterna uita, debemus esse grati Deo, & sicuti ille gratuito, hoc donum nobis donat, ita & nos gratuito benefacere aliis debemus.

Saluta eos qui nos amant in fide.

QVasi dicat: Qui nos non amant in fide, uerum Deum, & quem misit Iesum Christum agnoscentes & inuocantes, illos nolo salutari, sed tantum eos, qui unius nobiscum sunt fidei. Reliqui, qui diuersæ sunt fidei, illi conculcant & blasphemant Christum Iesum Dominum & seruatorem nostrum, cum illis non est nobis aliqua pars aut portio, iuxta illud: Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinam non affert, ne recipiatis eum in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malis. 2. Ioan.

Gratia Dei cum omnibus uobis.

COncludit Epistolam eodem modo, quo exorsus est, precando eis gratiam.

hoc est, amorem & fauorem Dei, quo æternus pater credentes propter Filium complectitur, diligit, protegit & seruat, quæ ut & cum nobis omnibus sit, qui ea in his mundi fecibus & confusionibus, maxime opus habemus, ut custodiat animas nostras, & corpora nostra in Spiritu sancto, toto pectore cum per Dominum nostrum Iesum Christum oramus, cui gloria in secula Amen.

Ad Titum, qui primus Cretensium Ecclesiæ ordinatus fuit Episcopus, scripta ex Nicopoli Macedoniæ urbe.

SVnt enim & aliæ urbes eodem nomine appellatæ, ut Nicopolis ad Issum, dicta inde quod eo loco Alexander Darium uicerit, & alia Nicopolis in Armenia minore, ubi Mithridatem Pompeius uicit &c.

Epistola

EPISTOLA PAVLI APOSTOLI AD PHILEMONEM.

PAVLVS uinctus Christi Iesu, & Timotheus, frater Philemoni dilecto & cóoperario nostro. Subscriptio. Inscriptio.

Et Appiæ sorori charissimæ, & Archippo commilitoni nostro, & Ecclesiæ, quæ in domo tua est.

Gratia uobis, & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo. Salutatio.

Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis. Exordium quo captat benevolentiam a sua & Philemonis Persona.

Audiens charitatem tuam

Ratio cur pro Onesimo precetur.

& fidem quam habes erga Dominum Iesum, & in omnes sanctos.

Vt communicatio fidei tuæ efficax fiat in agnitione omnis boni, quod est in uobis erga Christum Iesum.

Narratio.

Gaudium enim magnum habui, & consolationem in charitate tua, quia uiscera sanctorum requieuerunt per te, frater.

παρασκευὴ præparatio seu præmunitio ad sequentem petitionem.

Propter quod multam fiduciam habens in Christo Iesu imperandi tibi, quod officij tui erat.

πάθος a sua persona

Propter charitatem magis obsecro, cum sim talis, ut Paulus senex, nunc autem & uinctus Iesu Christi.

Obsecro

Obsecro te pro meo Filio, quem genui in uinculis meis, Onesimo. Petitio.

Qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi & tibi utilis. Allusio ad nomen Onesimi, quod utilem significat.

Quem remisi, tu autem illum, id est, mea uiscera, suscipe. Repetit petitionem.

Quem ego uolueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in uinculis Euangelij. Occupatio.

Sine sententia autem tua nihil uolui facere, uti ne uelut ex necessitate bonum tuum esset, sed uoluntarium. Ratio cur non detinuerit secum.

Forsitan enim ideo discessit ad horam à te, ut æternum illum reciperes. Confutatio obiectionum.

Comparatio ex minore ad maius.

Iam non ut Seruum, sed supra Seruum, fratrem dilectum, maxime mihi, quanto autem magis tibi & in carne, & in Domino?

A persona petentis.

Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me.

Confutatio obiectionis de damno dato.

Si autem aliquid nocuit tibi aut debet, hoc mihi imputa.

Inuersio. Ego ero debitor pro illo, imo cu te mihi debes.

Ego Paulus scripsi mea manu, ego reddam, ut non dicam tibi, quod & te ipsum mihi debes.

Epilogus seu conclusio Pathetica.

Ita frater, ego te fruar in Domino, refice uiscera mea in Domino.

Debes obedientiam mihi patri tuo.

Confidens in obedientia tua scripsi tibi, sciens quoniam & super id quod dico, facies.

Simul

Simul autem & para mihi hospitium, Nam spero per orationes uestras donari me uobis. Comminatio

Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Christo Iesu. Salutationes.

Marcus, Aristarchus, Demas & Lucas, adiutores mei.

Gratia Domini nostri Iesu Christi, cum Spiritu uestro, AMEN. Conclusio similis exordio Epistolæ.

Ad Philemonem scripta fuit à Roma per Onesimum Seruum.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ Pauli ad Philemonem.

Philemon.

PHilemonem uel ciuem uel minis-
trum Verbi Coloßis fuisse, appa-
ret inde, quod hæc Epistola non solum
Philemoni, sed & Archippo, quem comilito-
nem uocat, scribitur, quem certum est, Colos-
sensium fuisse Episcopum, cum Paulus ad Co-
lossenses in fine eius Epistolæ, ministrū eius Ec-
clesiæ his uerbis accurate Archippo commen-
det: Dicite, inquit: Vide ministerium quod ac-
cepisti à Domino, ut illud impleas. Fuerunt
itaq; & Philemon, & Archippus, & Onesi-
mus Colossenses. Nam ibidem dicit, Onesimum
esse ex Colossensibus.

Archippus.

Onesimus.

Onesimus autem Seruus Philemonis com-
misso furto, aut saltem aliquo dato damno he-
ro suo Philemoni, aufugerat ex Coloßis Ly-
oppido ad Lycum flumen sito, Romam, ut fa-
cile præhendi et ex fuga, si in propinquo esset,
retrahi posset, ibi cum audiuisset Paulum cap-
tiuum, quem fortasse & antea in Lydia &
alijs uicinis Regionibus docentem Euangelium
audierat,

Coloſſæ oppidum.

audierat, docere quoq; Romæ quanquam uinctum, se ad ipsum conuulit, & ipsius doctrinam de pœnitentia & remissione peccatorum audiens, & agnoscens sua peccata, ad Christum conuersus est, et Paulo uincto seruiuit, & ut ipse hic refert, Onesimus utilis fuit. Quanquam autem & propter conuersionem ac pietatem & officia utilis ac charus fuerit Paulo, tamen Seruum alienum iniquum esse putabat. Paulus apud sese, sine consensu, & uoluntate Domini detineri.

Onesimi conuersio.

Remittit igitur ad Dominum Philemonem, Onesimum seruum cum his literis, & preco, tanquam pro Filio proprio, Philemonem herum eius tali oratione, & talibus argumentis deprecatur, ut non putem, in simili argumento Epistolam seu scriptum ullum huius Pauli, quanquam breui Epistolæ conferri posse. Singula enim propemodum uerba suum pondus & suum argumentum habent, & tanquam ardentes fornaces sunt, ad emolliendum & liquefaciendum Philemonis erga Seruum furem & fugitiuum, offensum & exacerbatum animum, ut satis appareat, uel ex hac breui & unica Epistola, qualis Rhetor, & Orator, si artibus dicendi uti uoluisset, fuerit Paulus, adeo miror, fuisse etiam Hiero-

Pauli eloquentia.

nymi temporibus, qui hanc inter Epistolas Pauli recipere nolucrint, haud dubie propter humilitatem argumenti, sicuti ipsi, sed falso iudicarunt.

LOCI DOCTRINÆ.

CONtinet enim hæc Epistola locos doctrinæ utilissimos & maxime necessarios, quos diligenter in hoc breui scripto lectorem considerare & expendere utilissimum est.

I De lapsis recipiendis.

PRIMVS LOCVS est de lapsis uel ante uel post conuersionem recipiendis, quandocunq; agnouerint peccata sua, & remissionem petierint, quales quales peccatores, aut cuiuscunq; status & ordinis, etiam contemptissimi siue serui, fures, fugitiui, siue meretrices, siue latrones, siue blasphemi, & persecutores fuerint. Est enim Deus æqualis omnibus ad se conuersis, & ad suam misericordiam fide per mediatorem confugientibus, & remissionem petentibus, sine omni personarum respectu, per quam infinitam misericordiam suam, suam erga nos charitatem commendat Deus, ita, ut nulli quantumuis abiectæ conditionis aut sortis homini, aut quantumuis magno

Deus æqualis omnibus.

aut atroci peccatori de misericordia Dei, desperandum sit. Non enim vult mortem impij, sed conuertatur & viuat, siue Rex, ut Manasses, sit impius, parricida Prophetarum, & multorum sanctorum hominum, siue seruus contemptus Onesimus, fur & fugitiuus, latro aut meretrix fuerit. Non enim apud Dominum personarum est respectus, & gratia exuberat peccatum, & sicut altius est Cœlum supra terram, sic prævalere facit misericordiam suam super timentes se. Psal. 103

Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit à nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est DOMINVS timentibus se.

Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, Recordatus est, quoniam pulvis sumus.

Et concluſit Deus OMNES sub peccatum, ut OMNIVM misereatur, non ut omnes perdat. Rom. 11

Hic dulcissimus locus doctrinæ primus est, ad considerationem in hac Epistola propositus à Paulo.

SECVNDVS LOCVS est de cura pro lapsis, ut conuertantur, gerenda, & quomodo tractandi sint, ut in conuersione perfe- 2 De cura pro lapsis habenda, ut conuertantur.

perſecuerent, Paulus agnoſcit ſe debitorem eſſe omnium, ut omnes ſeruet, & Chriſto lucrifaciat, non ſolum regum, principum, & nobilium ac Dominorum, ſed & ſeruorum, ideo, & pro ſeruis etiam furibus & fugitiuis conuertendis, & Chriſto lucrifaciendis curam gerit, cum ſciat tam Oneſimum ſeruum furem & fugitiuum redemptum eſſe ſanguine Chriſti, quam ipſius herum Philemonem.

Cur pro Oneſimo ſollicitus ſit Paulus.

Conuerſum uero, ut in conuerſione maneat, ſic tractat, ut ad Coloſſenſes ſcribens fidū & dilectum fratrem, hic uero filium ſuum in uinculis genitum, & ſua ipſius uiſcera appellet, nec acquieſcere uelit Paulus uinctus, niſi herus Philemon ſeruo ſit reconciliatus. Hunc erga ſe animum Pauli tanquam genuini patris uidens Oneſimus perſeuerat in conuerſione.

4 Exemplum charitatis mutuæ.

TERTIVS LOCVS eſt inſigne exemplum charitatis, in Paulo propoſitum erga conuerſum ſeruum malum, quem non ſecus ac filium, etuiſcera ſua complectitur, ſicuti iam dictum eſt, & uiciſſim exemplum charitatis in ſeruo Oneſimo conuerſo, qui Paulum non ſecus ac Patrem ſuum complectitur, & ei propter Euangelium uincto miniſtrat & ſeruit, non metuens offenſiones aut pericula, quæ miniſtranti euenire poterant.

Quartus

QVARTVS LOCVS est consolatio hic proposita, de qua & supra dictum est, apud Deum non esse personarum respectum, & Deum recipere æqualiter omnes conuersos ad se, siue sit seruus, siue Dominus, In Christo Iesu enim non est seruus neq; liber &c. 4 Non esse respectum personarum apud Deum. Gala. 3

QVINTVS LOCVS, Alia consolatio proposita, si seruus, fur & fugitiuus receptus est, conuersus, recipientur etiam heri, diuites, nobiles, principes &c. 5 Consolatio.

SEXTVS LOCVS, Euangelium doctrinam esse, de rebus cœlestibus, Spiritualibus & æternis bonis, nec tollere iura gentium et ordinationes politicas, ut iure gentium seruitus introducta est, imo Euangelium approbare ordinationes politicas, hæc Epistola testatur. Nam si impietas esset, exercere Dominium in seruos etiam conuersos ad Christum, & factos fratres nostros, imperaret Paulus Philemoni, ut Onesimum seruum, per conuersionem factum fratrem, manu mitteret, & libertate donaret, sed hoc non facit Paulus, permittit Philemoni suum ius in seruum conuersum, & est deprecator pro fugitiuo, ut herus seruo reconcilietur, & remittit hero Philemoni, quod suum & ipsius proprium iure gentium erat, seruum fugitiuum. 6 Euangelium non tollere ordinationes politicas.

Errant

Errant igitur Anabaptiſtæ, qui Chriſtianos uolunt eſſe liberos, neq; debere obedire Magiſtratibus.

Errant & iſti, qui contendunt, non licere Chriſtiano habere proprium, ſed omnia debere eſſe communia. Nam Paulus uult Philemonem uerum retinere ſeruum proprium, & ideo, ut retineat, remittit.

Errant & illi, qui negant nos debere uti legibus Romanis, ſed utendum eſſe lege Moſi.

Errant & Monachi, qui dicunt, perfectionem eſſe paupertatem.

Hæc enim omnia externa & corporalia pertinent ad regimen externum & politicum, quod Euangelium, & Paulus hoc loco approbat, non ad Euangelium, Chriſti enim regnum non eſt de hoc mundo, nec eſt cibus ac potus res externa & corporalis, ſed iuſtitia & pax, & gaudium in ſpiritu ſancto, & noſtrum πολίτευμα eſt in Cœlis, non hic in terris.

Rom. 14. Philip. 3.

7 Galat. 3. In Chriſto non eſt ſeruus aut Dominus.

SEPTIMVS LOCVS, uerum eſt quod Paulus inquit: Omnes Filij Dei eſtis, eo quod credidiſtis Chriſto Ieſu. Nam quicunq; baptiſati eſtis, Chriſtum induiſtis, non eſt Iudæus, neq; Græcus, non eſt ſeruus, neq; liber &c. Omnes enim unus ſumus in Chriſto Ieſu, neq;

nes enim apud Deum personarum respectus Ioel. 2
est. Nam omnis quicunq; inuocauerit nomen Rom. 10
Domini, saluus erit.

Quanquam autem in regno Dei non sit seruus aut Dominus, & si omnium una æqualis conditio sit, ut omnes credentes in Filium Dei sint Filij & hæredes Dei ac uitæ æternæ, non tamen seruitutis iugum, prætextu Euangelij, quo omnes inter nos fratres Filij æterni patris, per & propter unigenitum Filium Dominum nostrum Iesum Christum sumus, excutere serui debent. Nam etsi seruus Onesimum Philemoni hero, non iam ut seruum, sed supra seruum, nempe fratrem dilectum, remittat, tamen uult Onesimum manere in priori seruili conditione, obedire hero suo, facere seruilia officia, iussum ab hero, non contemnere aut abijcere eius imperium & mandata, eo quod in regno Christi factus sit heri sui Philemonis frater, & cohæres regni Dei. Non enim regna mundi terrena & mortalia tollit, qui regna dat cœlestia.

Serui in Christo uocati, maneant in sua uocatione.

Idem & 1. Corin. 7. docet, cum inquit: Vnusquisq; in ea uocatione, in qua uocatus fuit maneat,

maneat, seruus uocatus es? ne sit tibi cure, quin si potes liber fieri, potius utere, etenim qui in Domino uocatus est seruus, libertus Domini est. Similiter & qui liber uocatus fuit, seruus est Christi, quæ doctrina obseruanda est contra eos, qui omnes Christianos ut populum liberum nulli seruientem, manumissos, & in libertatem assertos, ac ab omnium dominorum, principum & potestatum iugo liberatos esse uolunt, quam seditiosam sectam Christi tempore Iudas Galilæus, primus inuexit.

Iudas Gallæus.

Dicebant autem, se esse defensores libertatis, nec ulli Domino, nisi soli Deo seruiendum esse, Ideo tributum Romanis nullo modo esse soluendum, ne ita libertatem amitteret populus. Allegabant illud Deut: 6. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies, item asserebant eos qui templo decimas & debitam pensionem annuam persoluerent, Cæsari tributa non debere dare, unde à Phariseis Christo quæstio proponitur, Liceat ne tributum Cæsari dare an non? quæ secta anno 1525. in Germania per quosdam seditiosos homines renouata est, excitata magna seditione seruili seu rusticorum, in qua multa hominum millia intra sex menses interfecta sunt passim in Germania.

Seditio misticorum anno 1564.

Alia

Alia enim est libertas spiritualis, ex seruitute & captiuitate peccati, diaboli & mortis æternæ liberans, de qua Christus Iohan. 8. inquit: *Si uos Filius liberos reddiderit, uere liberi eritis.* Libertas duplex.

Alia est libertas & seruitus corporalis, ac neutra alteram impedit, ut Onesimus credens in Christum, manumissus à peccato, à diabolo ac morte liberatus, & factus libertus Domini Iesu Christi, Christo Domino in Spiritu, in corpore uero debet seruire Philemoni Domino carnali, & eodem modo omnis anima libera à peccato, diabolo & morte, nihilominus debet esse subdita potestatibus superemineibus, cum potestas ordinatio diuina & princeps minister Dei sit, iuxta quartum præceptum, Honora Patrem & Matrem &c. Et supra ad Titum. 3. Admoneto illos, ut principatibus ac potestatibus subditi sint, Item, Seruos hortare, ut suis Dominis pareant. Rom. 6 Rom. 13 Titum. 2

OCTAVVS, quomodo serui conuersi ad Christum à Dominis carnalibus, nempe quod ad fidem communem attinet, habendi sint ut fratres, consortes & cohæredes nostri, sed quo ad seruitutem externam, habendi sunt ut serui, & pro ut illorum conditio postulat, Ita tamen ne imperium sit seuius aut crudelius, 8 Serui quomodo tractandi & habendi.

sicuti & Ephes: 6. præcipitur, Domini remittite minas erga seruos, scientes, quod & uester ipsorum Dominus est in Cœlis, nec personæ respectus est apud illum, Ideo & hic Philemonem reconciliat seruo, ne durius excipiatur, & tractetur ab eo remissus.

9 Reconciliandi discordes.

NONVS, si qua offensio & discordia inter coniuges, herum aut seruum, aut cuiuscunq; status homines sint, orta est, dandam esse operam omnibus pijs, ut reconcilientur, quo sic dissoluantur opera diaboli, & restituantur opera Christi, beati enim pacifici, hoc est, εἰρηνοποιοὶ conciliantes pacem, & restituentes concordiam, quoniam Filij Dei uocabuntur. Sic Paulus reconciliat Philemonem seruo fugitiuo.

10 De nemine desperandum esse.

DECIMVS, de nemine desperandum esse, potest enim Deus ex seruo inutili, fure & fugitiuo, seruum utilem, frugi, Filium, & hæredem suum, ex blasphemo, & persecutore facere organum salutare, ex Publicano Apostolum, ex latrone hæredem uitæ æternæ, ex sceleſto & perdito adolescente, Episcopum Ecclesiæ facere, quare hinc discendum est, neq; de nobis ipsis, neq; de alijs desperandum, sed omnes ad pœnitentiam inuitandos & excitandos esse, si quando det illis Deus pœnitentiam

Vide lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ capit. 23

tentiam ad agnoscendum ueritatem, ut resipiscant è diaboli laqueo, capti ab eo ad ipsius uoluntatem, Potens enim est Deus uitæ restituere mortuos, ac uocare ea, quæ non sunt, tanquam sint, & facere cumulate ultra omnia, quæ petimus aut cogitamus, iuxta uim agentem in nobis, cui sit gloria in Ecclesia per Christum Iesum, in omnes ætates seculi seculorum Amen. 2. Tim. 2 Rom. 4 Ephe. 3

Breuiter dicendo, etsi hæc Epistola sit brevis, & ad Philemonem priuatim scripta, tamen ut reliquæ Epistolæ Pauli summam doctrinæ Euangelij complectitur. Summa doctrinæ Christianæ comprehensa in hac Epistola.

FIDEM, hoc est, fiduciam misericordiæ diuinæ docet, cum in exemplo Onesimi ostendit tantam esse bonitatem Dei erga genus humanum, ut etiam uilissimæ conditionis homines seruos improbos, fures & fugitiuos, ad se conuersos propter Filium pontificem nostrum oblatum, & interpellantem pro nobis recipiat. Adeo Pater cœlestis patiens est erga nos, dum non uult ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam recipere, etiam seruos, fures, suspendio dignos. 2. Pet. 3

CHARITATEM docet exemplum Pauli, laborantis in seruo, fure & fugitiuo conuertendo, & suo hero reconciliando, &

ſeruum conuerſum non ſecus, ac Filium complectentis, et uiciſſim ſerui conuerſi Exemplum Paulum quanquam uinctum non ſecus ac patrem colentis, & ei inſeruientis.

Eant igitur nunc & uociferentur hanc Epiſtolam non inter Paulinas recipiendam, cum appareat uerè Paulinam & γνήσιον eius ſcriptum eſſe, quanquam breue ſit, cum tot utiles locos doctrinæ piæ proponat.

Hæc de argumento.

Paulus uinctus Chriſti Ieſu.

Status in hac Epiſtola.

NOn meminit ſuæ uocationis & autoritatis, ut in alijs Epiſtolis, Paulus ſeruus Dei, Apoſtolus uero Ieſu Chriſti, Sed mox in initio ſubſcriptionis mouet τὸν λόγον à uinculis & captiuitate ſua, ut hoc modo ſibi paret aditum, & conciliet autoritatem, & emolliat animum Philemonis ad impetrandum hoc, quod petiturus eſt in ipſa Epiſtola, Nempe ut Philemon reconcilietur ſeruo Onesimo, à quo damno & iniuria affectus erat, qui eſt Epiſtolæ ſtatus. Quaſi dicat: Si liber & non uinctus eſſem, debebam hoc pro mea erga

erga te autoritate impetrare, quod sum petiturus, quanto magis iam uinctus? Impetrent igitur uel uincula mea, si alia mea erga te officia impetrare non poterunt. Quare cogitabis, afflicto non esse addendam afflictionem, id quod facies, si me, quod peto, non sines impetrare.

Vinctus Christi Iesu.

NEmo tam ferreus aut inhumanus est, quem non uincula etiam sceleratorum ad commiserationem flectant, Quanto magis ego, non propter scelus aliquod, sed pro nomine Christi saluatoris uinctus, & ex uinculis haec scribens, & petens exaudiri, & quae peto impetrare debeo. Ideo enim haec uincula patior, quod docendo Euangelium de Domino nostro Iesu Christo, sedentes in tenebris, & in umbra mortis, ex diaboli, peccati & mortis, laqueis et uinculis captiuos libero, et transfero in regnum Filij Dei Domini nostri Iesu Christi. Quare haec gloriosa, & honesta uincula mea te ad clementiam flectere debent. Luc. 1 Coloss 1

Recte uero hic inquit Hieronymus, Non omnis qui uinctus est, uinctus est Christi, sed quicunq; pro Christi nomine, & pro eius confessione uincitur, ille uero uinctus dicitur Iesu Christi, Vinctus Christi qui uere dicatur.

Christi, & sanguis effusus, is tantum Martyrem facit, qui pro Christi nomine funditur. Hæc Hieronymus. Sic non Martyrium, sed causa facit Martyrem. Nam (ut 1. Pet. 2. scriptum est) hæc est gratia, si propter conscientiam Dei sustinet, quis tristitias patiens iniustè.

Et Timotheus frater.

Allegat socium ne uideatur solus petere, ut eo facilius, quod uult, impetret. Nam huius cum Paulo passim docentis, apud Ecclesias magna fuit autoritas. Ideo tres Epistolæ suo & Timothei nomine à Paulo uncto simul & eodem tempore ex Roma scriptæ, & per Tychicum & Onesimum missæ sunt, uidelicet Epistola ad Ephesios, Colossenses & Philemonem, quo tempore & ad Philippenses Paulum scripsisse per ἐπαφρόδιτον uerisimile est. Missæ igitur duæ Epistolæ Pauli per Onesimum sunt, primum Epistola publicè scripta ad totam Colossensium Ecclesiam, deinde priuata commendaticia, & deprecatoria ad Philemonem herum Onesimi, & scriptæ sunt hæ Epistolæ quatuor cum ea, quæ ad Galatas est, anno Pauli conuersi uicesimo sexto, & uicesimo septimo, eo biennio, quo Romæ in

Timothei autoritas apud Ecclesias.

Quinque Epistolæ Pauli, quando scriptæ.

suo conductu mansit. Anno Neronis 3. & 4. Christi nati 59. & 60.

Philemoni dilecto & adiutori nostro.

Epigraphe.

IVdico eodem modo σύνεργον uocari hunc Philemonem, quo Timotheum & alios, qui cum Paulo in Euangelij propagatione laborabant, cooperarios suos appellat, Etsi Ambrosius diuersum sentiat, aut si collega in docendo Euangelio, ut Timotheus Pauli non fuit Philemon, certe in eo quoq; Pauli adiutor fuit, quod sanctorum uiscera requieuerunt seu refocillata sunt, per beneficentiam Philemonis, & eius fides & charitas late sparsa exemplo multis fuit, & ad professionem Euangelij alios incitauit, qua laude infra Philemonem ornat. Quare si non in docendo Euangelio Pauli adiutor Philemon fuit, at certe fuit in fouendis, alendis & hospitandis sanctis.

Philemon σύνεργος Pauli.

Dilecto.

SIgnificat se diligere Philemonem, ut ostendat amantem uicissim diligendum, Amor enim amore emitur. Quasi dicat, Si diligentem te diligis, ut decet, sines me impetrare,

quod sum petiturus, nempe ut reconcilieris seruo.

συνέργῳ.

Philemon cooperator Pauli.

QVasi dicat: Cum in cæteris adiutor & cooperator mihi sis, eris etiam in hoc charitatis opere exercendo mihi cooperator, ut ego sim deprecator pro seruo, qui noxam dedit, tu uero Dominus serui noxam propter meam interceßionem remittas, iuxta præceptum Domini, Remitte & remittetur uobis. Hoc modo etiam in hoc opere charitatis perficiendo, sicuti & in reliquis, mihi συνεργὸς eris.

Et Apphiæ dilectæ.

Cur Apphiæ mentionem faciat.

SCribitur Epistola deprecatoria, non solum ad maritum, sed & ad Apphiam uxorem Philemonis, Nam & Chrysostomus putat uxorem Philemonis fuisse Apphiam, ut quia Paulus nouit sexum muliebrem, natura magis quam uiros ad commiserationem deprecationibus moueri, ipsa legens aut audiens, Paulum uinctum nomine Iesu Christi, ita humiliter & diligenter intercedere pro seruo Onesimo, commota Pauli uinculis, & inter-

interpellatione ardentißima, simul fiat supplex cum Paulo marito Philemoni pro Onesimo, præsertim cum se propter pietatem & uirtutem diligi à Paulo uincto Iesu Christi audiat & sciat, ideo addit, Et Apphiæ dilectæ.

Et Archippo συστρατιώτῃ commilitoni.

ARchippus ciuis Colossensis, in eadem ciuitate Episcopus fuit, ut Colossenses ultimo: Dicite (inquit) Archippo, Vide ministerium, quod accepisti à Domino, ut illud impleas. Sed quod est ministerium, quod Archippus à Domino accepit? Hoc est, quod hic dicitur, Archippo commilitoni nostro.

Tribuit cuiq; suum titulum. Philemon, ut dictum est, si non est adiutor in docendo, tamen est cooperarius in alendis & iuuandis sanctis. Philemon Pauli cooperarius.

Archippus autem est commilito Pauli, quia Episcopus, quia dux & signifer uerbi, stat cum Paulo in acie, simul docet, simul pugnat cum Paulo pro gloria Christi aduersus peccatum, Satanam, Mortem, Tyrannos, Hæreticos, Pseudoapostolos, Mundum & omnes inferorum portas, sustinet patienter omnia huius certaminis & pugnæ pericula, mala & Archippus commilito.

Discrimen inter commilitonem & cooperarium.

miſerias, plus igitur eſt, eſſe commilitonẽ, quam cooperatorem. Quare Archippum non diſcipulum, nec cooperatorem, ſed commilitonem uocat.

Archippi autoritas.

Scribit autem, non ſolum Philemoni & eius uxori Apphiæ, ſed et Archippo, eius urbis Epiſcopo, cuius magna erat autoritas apud omnes conuerſos ad Chriſtum, ut ipſius litere ex Archippi nomine, quoq; plus ponderis apud Philemonem habeant, & ſimul pro Oneſimo Archippus apud Philemonem intercedat, & ut hoc modo cedat de iracundia contra ſeruum ac illi reconcilietur, uictus autoritate intercedentium Pauli uincti & Timothei, Deinde uxoris Apphiæ, & Archippi commilitonis Pauli, & Coloſſenſis Eccleſiæ Epiſcopi.

Et Eccleſiæ quæ in domo tua eſt.

Conſilium & prudentia Pauli in Epigrapha huius Epiſtolæ.

AGgreditur Paulus Philemonem, & cum circumuallat tanquam exercitu quodam intercedentium, cum non ſolum ipſi Philemoni, ſed et uxori eius & Archippo Epiſcopo ac toti eius domeſticæ Eccleſiæ liberis et ſeruis ad Chriſtum conuerſis, hanc Epiſtolam ſcribit, ut hos omnes hãc legentes aut audientes,

dientes, simul secum habeat intercessores ad emolliendum Philemonis offensi animum.

Apparet itaq; magnam fuisse prudentiam Pauli, & moderationem, qui ita sese humiliat, et ad pedes Philemonis supplex abijcit, cui pro suo iure imperare poterat. Vides igitur quam uerecunda & modesta sint omnia in hac petitione, quam nihil sit imperiosum, & tumidum, quod exemplum Pauli diligenter considerandum est, ut id imitemur. Non enim decet nos dominari, neq; Ecclesiæ, neq; eius ei- 1. Pet. 5
nibus, sicuti & Petrus docet, Non dominantes gregi.

Pauli moderatio, & abiectio in hac Epistola.

Notandum est & illud hoc loco, quales, et præcipue eorum, qui Ecclesijs præsunt, et alijs exemplo prælucere debent, domos & familias esse deceat, similes nempe Ecclesijs publicis, in quibus & sana doctrina sonet, & exercitia pietatis, & exempla omnium uirtutum sint etc.

Domus Patroris & singulorum piorum similis Ecclesiæ.

Gratia uobis & pax à Deo patre nostro & Domino Iesu Christo.

Hæc

Salutatio.

HÆc est salutatio, usitata Paulo prope in omnibus Epistolis.

Gratia Donum. Rom. 5

Gratia gratuita remissio peccatorum est, reconciliatio & imputatio iustitiæ, quam gratiam sequitur postea donum per gratiam, Id est, donatio Spiritus sancti, & uitæ æternæ. Donum enim Spiritus sanctus per Christum in corda credentium effusus, simul cum uita æterna est, quod in hac uita fide accipimus.

Rom. 5 Gal. 3

Pax.

Pax effectus est sequens fidem, qua gratia accipitur. Iustificati enim fide, pacem habent erga Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, & seruantur per eum ab ira, & sunt hæredes uitæ æternæ.

Rom. 5 Rom. 8

Hæc tanta bona, gratiam & pacem precatur in salutatione simul à Deo patre nostro, & Domino nostro Iesu Christo, ut ostendat unam Filij esse patris & essentiam & æqualem potentiam, sicuti enim pater operatur uiuificando, & resuscitat mortuos, donat gratiam & pacem &c. sic & Filius.

Simul & hoc monet, Tibi contigit, et donata est gratia, & pax à Deo patre, & Domino Iesu Christo, sola misericordia diuina, nullo tuo merito, Debes igitur & tu gratiam & pacem gratuito ostendere erga Onesimum, & illi remittere

remittere debitum, cum tibi remissum sit, multo maius debitum, & misereri conserui tui, sicut Deus misertus est tui. Matth. 18.

Gratias ago Deo meo semper memoriam tui faciens, in orationibus meis.

EXordium, quo captat beneuolentiam, à sua & Philemonis persona. Primum à sua, cum ostendit, se semper gratias agere Deo, quod audiat prædicari fidem & charitatem Philemonis à multis pijs, Fidem nempe erga Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum, non hypocriticam aut simulatam, sed operantem & efficacem, ac ostendentem se ueram & uiuificam per charitatem, tum erga Deum, tum erga Sanctos, exules & pauperes, quorum uiscera, ut mox infra dicet, refocillabat Philemon, ex fructibus enim cognoscitur & prædicatur arbor bona, ideo inquit: Audiens charitatem tuam & fidem, quam habes erga Dominum Iesum, & in omnes sanctos. Galat. 5

Coniungit fidem & charitatem, fidei fructum. Fides & eius fructus coniuncti.

fructum. Nam non in omnibus, præsertim in hypocritis fructificat fides per charitatem, & hæc demum uera fides est, quæ fructus producit. Ideo hic non solum fidem erga Dominum Iesum, sed & charitatem Philemonis erga omnes sanctos prædicat, quia oportet omnes sanctos percipere quoq; fructus fidei, quam erga Dominum Iesum habemus.

Ita prædicando fidem, & charitatem Philemonis, simul quoq; ab eius persona, beneuolentiam captat, ut facilius, quod petiturus est, obtineat, & tecte ac oblique prædicatione charitatis & fidei Philemonis, uiam sibi sternit ad petitionem. Quasi dicat: Prædicatur fides, & charitas tua in omnes sanctos, ergo & hanc charitatem & fidem ostenda, in recipiendo Onesimo seruo iam sancto, & fratre nostro ad Christum conuerso.

Secundo significat se, non solum pro fide & charitate diuinitus Philemoni donatis, gratias agere Deo, sed & semper orare, ut in his donis Dei, indies magis ac magis crescat, & augmentum capiat, Ideo addit.

Vt communicatio fidei tuæ efficax fiat in agnitione omnis boni, quod est in uobis.

Neq

NEq; enim satis est te habere fidem erga Deum, & Dominum Iesum, sed uult Deus te fidem etiam communicare alijs, & eam esse efficacem ac euidentem in agnitione omnis boni, quod est in Ecclesia.

PRIMVM enim scienda et agnoscenda sunt, bona quæ sunt Ecclesiæ per Christū Iesum donata, ut sunt reconciliatio cum Deo per ipsum facta, remissio peccatorum, imputatio iustitiæ, & donatio Spiritus sancti ac uitæ æternæ, ac alia innumerabilia cœlestia & æterna bona, institutio ministerij, Sacramentorum &c. Bona Ecclesiæ a Christo donata,

SECVNDO, ubi hæc bona in Ecclesia agnouisti, & tibi donata ac communicata fide accepisti, hic tantus Thesaurus, non in terra defodi, sed in lucem proferri, & communicari quoq; alijs debet, Id autem fit communicatione & propagatione doctrinæ Domini nostri Iesu Christi, & assiduis exercitijs pietatis & charitatis erga Deum & omnes sanctos. Sic uult fidē non esse ociosam, sed operosam, potentem & efficacem, exerentem se, & in omni bono lucentem omnibus alijs, ut & Christus præcipit: Sic luceat lux uestra coram hominibus ut uideant uestra bona opera, glorificentq; Communicatio fidei, Matth. 5

glorificentq;

risicentq; patrem uestrum, qui est in Cœlis. Ita enim fides (ut Chrysostomus hic inquit) efficax est, si habeat opera, nam sine operibus, fides mortua est.

In Christum Iesum.

HÆc enim fides efficax, cum omnibus fructibus suis, referenda est in Christum Iesum, ut hic dicitur, fontem & autorem omnis boni, & in patrem cœlestem, iuxta regulam Pauli: Omnia in gloriam Dei facite, Item Coloss. 3. Quicquid egeritis sermone aut facto, omnia in nomine Domini Iesu facite, gratias agentes Deo, & patri per illum. 1. Cor. 10

Agnoscamus igitur & nos bona à Christo donata, quæ sunt in Ecclesia, & ea fide accipiamus, oblata in uoce Euangelij, & exemplo Philemonis communicemus alijs fidem nostram efficacem, et operosam per charitatem in agnitione omnis boni, ut pro bonis nobis donatis Deo grati simus. Hanc communicationem fidei efficacem fuisse in Philemone, ostendit sequens narratio.

Gaudium enim magnum habui, & consolationem in chari-

charitate tua, quia uiscera sanctorum requieuerunt per te frater.

HÆc narratiuncula est, qua beneficentiam et liberalitatem Philemonis erga sanctos prædicat, & dicit se magnum gaudium & consolationem ex illa charitate Philemonis habuisse, quasi dicat, cum antea ex charitate tua magnum ceperim gaudium & consolationem, certè tui officij & muneris esse erga me iam uinctum & supplicem pro seruo Onesimo ita gerere, ne tristitia aliqua me afficias, ne mœrorem, quem ex uinculis habeo, mihi augeas, si petitum neges, quin potius impetrare sinas, ut & hoc tempore in tua charitate erga seruum propter petitionem meam ostensa, gaudium, & consolationem & leuamen mœroris in uinculis ex te habeam.

Viscera sanctorum.

PEr uiscera sanctorum, intelligit corda sanctorum. Nam cor sedes & fons, & propria causa est affectuum, talis est autem natura hominis, ut uita sit lætitia quædam, mœstitia uero destructio. Vt igitur uitæ initium cor est, ita sedes propria mœstitiæ & lætitiæ,

Cor sedes affectuum.

titlæ, significat igitur corda sanctorum propter exilia, paupertatem & persecutiones mœsta, liberalitate & bonitate Philemonis refecta & refocillata, quæ antea turbata, nec pacem seu requiem aut consolationem aliquam habebant, Id enim significat uox ἀναπέπαυται, quasi dicat: Si alij sancti quietem & consolationem ex te habuerunt, certè & ego ex te habere debeo, ut uiscera mea mœsta, iterum recipiendo seruum, & illi condonando noxam, quiescere facias, & exhilares.

Propter quod multam fiduciam habens in Christo Iesu, imperandi tibi, quod officij tui erat.

Tamen propter charitatem potius rogo, cum talis sim, ut Paulus senex, nunc autem etiam uinctus Iesu Christi.

HÆc est παρασκευὴ seu præparatio & præmunitio, ad sequentem petitionem. Nam quanquam & superiora omnia ad emolliendum Philemonis animum scripta sint, tamen hoc loco singulariter sibi aditum

aditum ad petitionem sternit, secq; ita insinuat, ut neq; pium, neq; honestum fuerit Philemoni petitum Paulo negare. Nam cum imperare posset Paulus Philemoni ut faceret, quæ ipsum ut Christi nomen profitentem, facere conueniebat, remittere nempe offensam seruo fugitiuo petenti, et Paulo pro ipso deprecante et fiduciã in Christo habente, tamen ea est modestia & sapientia, ut precibus potius, quam per imperium & mandatum petitum impetrare uelit.

Impetrare uero in Christo Iesu, est ostendere per uerbũ Christi Iesu, quid sit τὸ ἀνῆκον quod cuiusq; sit officium, quid quemq; facere decerat.

Poterat itaq; hoc modo uel alio imperare Philemoni Paulus, Ecce tu profiteris Christũ, Christi autem uox et mandatum est: Remittite & remittetur uobis, reconciliare fratri tuo, Estote misericordes, sicut & pater uester misericors est, Oportet te misereri conserui tui, & illi remittere debitum centum denariorum, sicuti & Deus tui misertus est, & remisit tibi debitum decem millium talentorum &c. Sed ita non imperat, quanquam tectæ hæc hic significans, mauult enim cum bona gratia, quam cum imperio impetrare, quod petiturus erat. Non enim uult esse necessitatem aut coactionem, quia beneficia coacta non spontanea, sunt

Matth. 6

Luc. 6

ingrata, sic & Eleemosynam à Corinthijs, ijs, qui pauperes Hierosolymæ erant, petens imquit: Non secundum imperium loquor, Item, Vnusquisq; secundum propositum cordis, non ex molestia aut necessitate, Nam hilarem datorem diligit Deus, Vult omnia fieri ex charitate, non ex necessitate.

2. Cor. 8. & 9

Eccl. 35

Propositum est autem hoc exemplum Pauli omnibus Episcopis & Pastoribus Ecclesiarum, ne in Ecclesia sint imperiosi, qualis Romani pontificis, & suorum Tyrannis in Ecclesiam est, qui mox fulmine excommunicationis, pro suo arbitrio feriunt, quos libet, siue causa iusta, siue iniusta fuerit.

Propter charitatem magis obsecro, cum sim talis, ut Paulus senex, nunc autem & uinctus Iesu Christi.

MAgis uult per charitatem & obsecrationem, quam per imperium, ut dictum est, impetrare, quod petiturus erat, sed hic mouet παθός, à sua persona, ut Philemonis animum ad misericordiam flectat, & eo facilius impetret reconciliationem serui, ac ita mirabiles, quasi cuneos agit ad Philemonis animum occupandum. Vtitur autem duabus

duabus rationibus, ego Paulus sum senex, tu uero iunior &c. Est autem officium iuniorum parere, inseruire & gratificari natu maioribus, & honorare personam senis, ergo fines me impetrare quod peto. Sic primum argumentum ab ætate sumptam proponit.

Iudico autem Paulum eo tempore, quo hanc Epistolam, item, eas quas ad Galatas, Ephesios, Philippenses, & ad Colossenses Roma ex uinculis scripsit, fuisse circiter quinquagesimum secundum aut tertium ætatis annum, uenit enim Romam anno secundo Neronis, qui est annus Pauli conuersi uicesimus quintus, Et Lucas in Actis refert, Vestes lapidantium Stephanum depositos ad pedes adolescentis, qui uocabatur Saulus, quo tempore fuit annos natus uiginti quinq; aut sex annos natus fuit Paulus. Scribunt autem ex uinculis Paulum liberatum decennium adhuc in occidente, & Hispania Euangelium docuisse, ita ut curriculum eius uitæ totius fuerint, anni sexaginta duo aut tres. Aetas Pauli. Hieron. Euseb. Platina.

Nunc autem & uinctus Iesu Christi.

SEcundum argumentum ad mouendum Philemonem sumptum est, à præsenti

præsenti suo miserando statu & conditione, cum se uinctum Iesu Christi obsecrare Philemonem ostendit. Quasi dicat: Si liber essem, cum sim Apostolus Iesu Christi, tu uero meus discipulus, debebat hoc autoritas mea à te impetrare, quantò magis nunc unctus, & quidem Iesu Christi impetrare debeo, sed non ut ex autoritate, neq; senectutis, neq; Apostolatus, uerum agam tecũ tanquam frater cum fratre.

Exemplum charitatis Christianæ.

Est igitur exemplum & imago uere Christiani pectoris, propositum nobis in Paulo sic sollicito, pro Onesimo seruo reconciliando hero suo, ut non uideatur, tam serui quam sui ipsius causam agere, & hoc est amare proximum sicut seipsum, abijcit seſe tantus Apostolus, & organum electum Dei iam senex de Philemone, & tota Colossensium Ecclesia optime merito, et fit Philemoni discipulo supplex, tantum ut seruo prosit, quod exemplum charitatis & humilitatis diligenter considerandum, & nobis imitandum est, & sunt hæc uerba omnia, quibus in reconciliando seruo utitur, prorsus ignea. Talis amor in Mose erga populum quoq; fuit, pro quo mori cupit, & idem amor in Paulo cernitur, qui cupit fieri anathema pro fratribus. Summum autem charitatis exemplum habemus in Christo, qui cum in forma

Exod. 32

Roma. 9

in forma Dei esset, formam serui assumpsit, & animam suam pro nobis fratribus suis posuit. Philip. 2. Iohan. 3.

Obsecro te pro meo filio, quem genui in uinculis meis Onesimo.

POsteaquam longa commemoratione suæ erga Philemonem beneuolentiæ, & prædicatione ipsius Philemonis fidei & charitatis erga Dominum Iesum, & communicationis fidei eiusdem erga sanctos, locum & aditum sibi ad petitionem parauit, Petitio. tandem ipsam petitionem uerbis ardentis scriptam, obsecro ego Paulus senex, & uinctus Iesu Christi, te iuuenem, liberum, donatum Dei agnitione, florentem opibus, & dignitate, non pro aliquo Ethnico nebulone peregrino, non pro amico, non pro simplici fratre, sed pro FILIO meo, & eo quidem non secundum carnem, sed secundum Spiritum, non ex semine mortali, sed ex immortali, per sermonem uiuentis Dei, & manentis in æternum. me genito, sed non libero, ut tu, Colos. 3. 1. Pet. 1. Iacob. 1. et multi alij à me libero, per sermonem ueritatis geniti estis, sed quem ego in VINCVLIS MEIS genui, cum te atq; alios peperim tum, cum liber, cum non captiuus essem, hunc

ſem, hunc uero genui in maxima anguſtia, in ſumma dolore, in periculo mortis. Quare cum ſcias eos liberos omnium eſſe charißimos, qui in ſummo dolore gignuntur, noli dubitare, quin hic Oneſimus, in uinculis meis à me genitus, mihi omnium ſit charißimus, et uere Bennoni.

Gen. 35 Bennoni. Beniamin.

Pauli eloquentia et ardens dilectio.

Hic non tam Rhetorica & eloquentia Pauli, quàm animus paternus & flagrans, ut eaminus ardens dilectione erga proximum, conſiderandus eſt. Ita inſtituit, ita informat petitionem Paulus, & eam talibus uerbis eloquitur, ut uideatur faces, & flammas addere Philemoni ad eum liquefaciendum.

Videtur autem probus fuiſſe ſeruus, quem cito ſui peccati pœnituit, et cum Paulum concionantem audiret, mox pœnitentiam egit, eum acceſſit, & petiuit reconciliationem cum hero ſuo. Manet autem ſeruus ſecundum iuſ gentium, nec Paulus abſoluit eum à ſeruitute, nec rogat Philemonem, ut eum manumittat, imo confirmat ius gentium de ſeruitutem, quia inquit, tu habes Oneſimum ſeruum, ego uero filium.

Neceſſe autem eſt Philemonem grauiter his Pauli uerbis eſſe commotum, ut ſeruo reconciliaretur, cum eum tam impenſe charum Paulo animaduerteret, neq; uoluiſſe Paulum

ſenem

ſenem & uinctum, ſi petitionem negaret, turbare, & uincto augere mœſtitiam ac dolorem.

Qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc uero tibi & mihi utilis.

Coniungit obſecrationi grauiſſimæ, urbanam alluſionem, ſumptam ex nomine ſerui Onesimi. ὀνήσιμος enim utilem ſignificat. Dicit autem aliquando inutilem fuiſſe Onesimum, nempe cum ex re domeſtica aliquid, uel pecuniam furto abſtulit, & damnum hero intulit, inſuper addita fuga. Nunc uero affirmat & ſibi Paulo utilem, cum ei in uinculis ſeruiret, & Philemoni utilem fuiſſe, cum pro hero ſuo, captiuo Paulo inſeruiret, ſicuti Epaphras, & multi alij Pauli diſcipuli uincto inſeruiebant. Vtilis igitur Philemoni ſeruus, quanquam fur & fugitiuus, conuerſus tamen hero ſuo fuit, cum pro ipſo miniſtrauit Paulo in uinculis Euangelij, ut mox ſequitur: Volueram ſeruum tuum Onesimum mecum detinere, ut mihi miniſtraret in uinculis Euangelij. Onesimus ſignificat utilem.

Quem remiſi.

Conuerſum ſcilicet iam, & ex fure & fugitiuo ſerno, ſeruum ὀνήσιμον Χριστοῦ.

frugi & utilem factum. Dicit autem non peto ut dones libertate, sed ut redeat in pristinam seruitutem, ut te reconciliatum habeat, ut duplo melius seruiat quam antea.

Euangelium non tollit ius gentium.

Hic uidemus non tolli seruitutem, sed approbari rerum dominium, & concedi, ut utamur statutis, moribus, legibus & contractibus gentium, non pugnantibus cum lege diuina. Quia regnum Christi non est de hoc mundo, sed est cœleste & spirituale, de quo in argumento Epistolæ. Fuit autem dura seruorum conditio, & uidetur seruitus, quasi contra ius naturæ & diuinum esse, & tamen non tollitur, cum dicat, se remittere seruum in seruitutem pristinam, non igitur audiendi sunt seditiosi homines, & Anabaptistæ, qui libertatem spiritualem in libertatem carnalem transformant, & rerum dominia ac proprietates tollere, & omnia communia esse uolunt.

Tu autem illum, id est, mea uiscera suscipe.

REpetit petitionem, sed uerbo tridenteri, quam priora fuerunt. Nam supra uocauit seruum Filium, & quidem in uinculis in magna mœstitia & summo dolore genitum, ideo ostendit sibi charissimum, sicut Beniamin, Bennoni, filius doloris, Iacob charissimus

rissimus fuit, hic uero non solum Filium suum, sed quoq; uiscera sua uocat, quo ostendit se petere, non modo reconciliationem, sed & ita à Philemone suscipi, foueri & amari Onesimum conuersum, ut uiscera Pauli, id est, ut cor Pauli, Vtitur enim ualde significanti uoce, cum seruum suis uiscera suum cor uocat, Per uiscera enim cor intelligit, quod ut supra dictum est, sedes & fons affectuum est, ut Lucæ 1. Per uiscera misericordiæ Dei nostri, quibus uisitauit nos oriens ex alto, Et Philip: 1. Testis mihi est Deus, quam desiderem uos omnes in uisceribus Iesu Christi, Et infra: Reficе uiscera mea. Viscera.

Hic necesse est cor Philemonis liquefactum esse, cum tantis uerbis & tam ardentibus, hoc à se peti, & adeo Onesimum à Paulo, ut cor proprium suum amari uideret, & quo modo posset Paulo tam obnixè & igneis uerbis petenti hanc petitionem denegare? Maxime, cum communionem fidei & charitatis suæ adeo prædicari à Paulo in initio Epistolæ uideret, qua prædicatione indignus fuisset, si hanc petitionem Paulo denegasset, & longe esset aliud, quam à Paulo prædicaretur.

Quem

Quem ego uolueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in uinculis Euangelij.

Occupatio. OCcupatio est, qua anteuertit & refutat tacitam cogitationem seu obiectionem Philemonis. Quod si adeo diligis, ut uiscera tua seruum furem & fugitiuum, quod si adeo frugi, et utilis tibi est, cur remisisti? cur non tecũ detinuisti? Respondet Paulus: Volueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in uinculis Euangelij. Quasi dicat: Ego ius habeo in Onesimum, quia filius meus est, quem quidem non liber, sed in uinculis genui, deinde etiam habeo ius in te, quia tu quoq; Filius meus es, per sermonem ueritatis a me genitus, quare & tu, ut Filius mihi patri tuo ministrare in uinculis Euangelij debebas. Poteram itaq; Onesimum hic mecum retinere, ut pro te mihi ministraret, & tuum mihi debitum officium præstaret, sed hoc meo iure ego ultro cedo, & tibi seruum remitto, ergo decet te quoq; meum exemplum imitari, & de tuo iure cedere, ac reconciliari seruo. Hæc prima ratio est, cur seruum secum non detinuerit.

Iacob. j

Ministraret

Ministraret mihi in uinculis Euangelij.

QVasi dicat: Christiani hominis est seruire, & benefacere omnibus hominibus, tam amicis, quam inimicis, fratribus uero potißimum, qui domestici & eiusdem fidei sunt, deinde seruire ijs, qui etiam propter scelera in uinculis sunt, quos oportet consolari, eis ministrare, inseruire &c. iuxta mandatum Christi, In carcere eram, et uenistis ad me, et ministrastis mihi, maxime uero seruiendum est illis, qui in uinculis Euangelij sunt, ut ego sum, qui pro nomine Christi sum uinctus, & ideo, quod ex uinculis peccati, diaboli & mortis, sedentes in umbra mortis, per uocem & lucem Euangelij libero, & ex regno tenebrarum, in regnum lucis, ut supra quoq; dictum est, transfero, ideo hæc uincula gloriosa sunt, sicuti & in Galatis inquit: Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini. Item Rom. 5. Gloriamur supra afflictiones. Sic Apostoli gaudent, quod digni habiti sint, pro Christi nomine pati. Matt. 25

Mouet autem affectum, cum dicit: In uinculis Euangelij. Q. d. Tu per Euangelij prædicationem liberatus es à uinculis peccati & mortis, & eo, qui mortis imperium

imperium habebat diabolo, Ergo debes rursus hunc honorem mihi Apostolo Iesu Christi docenti Euangelium, qui te ex his uinculis eripui, & in libertatem ac ius filiorum Dei asserui, ut me obsecrantem pro seruo sinas impetrare, quod peto, nempe ut seruo reconcilieris, & illum iterum suscipias tanquam cor meum.

Sine sententia autem tua nihil uolui facere, uti ne uelut ex necessitate bonum tuum esset, sed uoluntarium.

Secunda ratio.

HÆc est secunda ratio, cur *seruum apud se non detinuerit, sed remiserit, ne scilicet beneficium Philemonis ex seruo ministrante pro hero suo Paulo captiuo, esset tanquam ex coactione, sed ut esset uoluntarium, quia beneficia non debent esse coacta, sed uoluntaria, nec placet Deo seruitus, aut cultus coactus, sed liber et spōtaneus, ut Psal. 119. Spontanea sacrificia oris mei beneplacita fac Domine, Et Psal. 110. Populus tuus spontaneus offeret in die uictoriæ suæ. Item 2. Corinth. 8. Promptitudo animi accepta est, & ibidem Capit. 8. Det unusquisq;*

quis, secundum propositum cordis, non ex molestia aut necessitate, Nam hilarem datorem diligit Deus.

Forsitan enim ideo discessit ad horam à te, ut æternum illum reciperes.

Confutatio quarundam obiectionum, ac primum de fuga, non persuadebis Paule, ut fugitiuum iterum recipiam. Nam si etiam propter tuam deprecationem recipercm, tamen ad primam offensionem iterum compilata re mea familiari, aufugeret. Qui enim semel malus est, semper præsumitur malus. Hanc obiectionem confutat uerbis mollissimis, quibus delectum Onesimi extenuat, cum inquit: Forsitan ideo recessit, seu separatus est (non dicit aufugit) mitiori utens uocabulo, Extenuat & tempus fugæ, cum ait, recessit ad horam, non ad longius temporis spacium, ut perpetuo abesset, & se tibi in æternum subtraheret, sed ut æternum illum reciperes, nunquam postea aufugiturum, hoc modo interpretatur Paulus fugam in meliorem partem. Nonnunquam enim ut hoc loco Hieronymus inquit, Malum occasio fit bonorum

Confutatio obiectionum.

Fuga extenuatur.

Tempus fugæ.

bonorum, & hominum praua consilia Deus uertit ad rectum. Quod dico manifestius exemplo fiet. Ioseph fratres sui Zeli stimulis incitati, Ismaelitis uiginti aureis uendiderunt. Hoc initium & patri & fratribus, & omni Ægypto bonorum omnium fuit, deniq; ipse postea ad fratres, uos, inquit, cogitastis de me mala, & Deus cogitauit de me bona.

Hieronymi interpretatio in hunc locum Pauli.

Gen. 50.

Simile quid & in Onesimo possumus intelligere, quod mala principia, occasiones fuerint rei bonæ, si enim Dominum non fugisset, nunquam uenisset Romam, ubi erat Paulus uinctus in carcere, si Paulum in uinculis non uidisset, non recepisset fidem in Christo, si Christi non habuisset fidem, nunquam Pauli effectus filius in opus Euangelij uerteretur. Ex quo paulatim & per gradus sese reciprocante sententia, ideo minister Euangelij est factus Onesimus, quia fugit à Domino.

Onesimus minister Euangelij.

Pulchrè autem addens, FORSITAN, sententiam temperauit. Occulta sunt quippe iudicia Dei, & temerarium est, quasi de certo pronunciare, quod dubiũ est. Forsitan, inquit, ideo discessit, caute, timidè, trepidanter, & non totum fixo gradu, ut si non posset, FORSITAN omnibus seruis fugiendum esset, ut Apostolici fierent. Hæc Hieronymus.

Discede

Discessit ad horam à te, ut æternum illum reciperes, iam non ut seruum, sed supra seruum, fratrem dilectum.

EXtenuat, ut dictum est, delictum fugæ singulari sapientia ita interpretans, quasi (FORSITAN sic disponente Deo, qui sæpe immensa misericordia malum in bonum uertit, scimus enim, quod his, qui diligunt Deum, omnia simul adiumento sint in bonum, nimirum his, qui iuxta propositum uocati sunt) occasio ea fuga conuersionis Onesimo fuerit, cum Romæ docentem Paulum in uinculis audiuit, & eius uoce ac ministerio, conuersus est ad Christum. Item, extenuat fugam per collationem temporis, discessit ad horam inquit à te, ut æternum illum reciperes, conuersum nempe ad sacerdotem æternum Christum, oblatum & intercedentem pro nobis, qui cum sit sacerdos æternus, necesse est Ecclesiam, & singula quoq; eius membra esse æterna, resuscitanda ex morte, fieri immortalia, incorruptibilia in æternum cum sacerdote suo Domino nostro Iesu Christo uiuentia & regnantia, cuius Ecclesiæ membrum, cum seruus Onesimus per fidem & baptismum, factus, &

Extenuatio delicti.

Rom. 8

Sacerdos æternus, ergo & populus æternus.

1. Cor. 15

ctus, & Christo sacerdoti æterno insitus sit, recipis æternum illum iam non ut seruum, sed supra seruum fratrem dilectum, *inuocantem nempe eundem Deum & patrem Domini nostri Iesu Christi, & nostrum omnium credentium in Christum, qui Filij Dei, fratres & cohæredes Christi Iesu sumus, Ita hæc recessio ad horam à te, non seruum tantum frugi, fidelem & constantem in hac uita, sed mortalem (nullus enim æternus Dominus serui sui est, potestas quippe eius, & utriusq; conditio morte finitur) sed & supra seruum mortalem, fratrem dilectum æternũ, et immortalem peperit,* dilectum maxime mihi, quod eum in uinculis Euangelij genuerim, *quanto autem magis tibi dilectum, &* IN CARNE, *Id est, tum propter seruitutem carnalem ac mortalem, tum propter fraternitatem, & hæreditatem immortalem, & inconcaminabilem atq; immarcescibilem, conseruatam in Cœlis erga me, coniunctum & copulatum tibi, cum mihi tantum iure spiritualis fraternitatis, non etiam in carne coniunctus sit, Ideo etiam tibi magis diligendus & complectendus est, & sine ulla recusatione,*

Psal. 22. Iohan. 20

Cur seruus Onesimus sit diligendus Philemoni.

1. Pet. 1

veculatione, recipiendus, quia antea tantum seruum in carne habebas mortalem, nunc uero fratrem & cohæredem æternum recipis, coniunctum tibi & in carne & in Domino Iesu Christo, ante conuersionem enim tantum in carne, non autem in Domino Philemoni iunctus erat, nunc autem ei & in carne et in Domino. Ita ex minori argumentatur, Magis diligendum esse Philemoni seruum conuersum, quam ipsi Paulo, propter duplicem coniunctionem, carnalem & spiritualem.

Si ergo habes me κοινωνὸν socium seu consortem, suscipe illum sicut me.

Subijcit postremo loco argumentum sumptum à sua persona, quo necesse fuit valde commoueri Philemonem, cui haud dubie dulce iucundum, et plenũ consolationis fuit, uocari & esse socium & fratrem Pauli tanti Apostoli electi organi Dei. Vt autem intelligatur quantum robur, & quantam autoritatem hoc argumentum postremum habeat, considerandum est, quid sit habere socium Paulum. Habere enim societatem cum Paulo, est habere societatem cum patre, & filio eius Domino Iesu Christo, & esse consortem & participem omnium cœlestium & æternorum bonorum,

Postremum argumentum a persona Pauli sumptum.

Societas & comunio sanctorum qualis sit.

norum, quæ sunt Patris, Filij & Spiritus sancti, ut est reconciliatio cum Deo patre per Christum in Spiritu sancto, remissio peccatorum, imputatio iustitiæ, donatio Spiritus sancti, & uitæ æternæ, & cætera omnia bona.

Hanc societatem habent omnia uera & uiua membra Ecclesiæ. Excidunt autem hac lætissima societate, patris, filij & Spiritus sancti, Patrũ, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, & omnium sanctorum, qui Euangelio non obediunt, nec bonam militiam militant, habentes fidem & bonam conscientiam. Euangelij & societatis Euangelicæ præceptum est, Remittite & remittetur uobis. Item, Oportet misereri conserui tui, sicuti Dominus misertus est tui, Itẽ, Fratres, etiamsi occupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui spirituales estis, instaurate huiusmodi Spiritu mansuetudinis, considerans temetipsum, ne & tu tenteris, Inuicem alij aliorum onera portate, & sic complete legem Christi. Philemon itaq; si non fuisset reconciliatus seruo, non remisisset delictum, sed retinuisset iracundiam & ultionis cupiditatem, non mansisset in societate cum Deo & Paulo ac tota Ecclesia, sed eum uinculum rupisset, quod charitas erga socios & fratres est, sicuti idem Paulus Colossenses 3. docet. Sitis igitur, inquit, induti uiscera misera-

Luc. 6
Matt. 18
Galat. 6

tionum.

tionum, sufferentes uos inuicem, & condonantes uobis mutuo, si quis aduersus aliquem habuerit querelam, quemadmodum & Christus condonauit uobis, ita & uos. Super omnia autem hæc, induite charitatem uinculum perfectionis, quo scilicet Ecclesia, ne scindatur, colligata est, nec socium Paulum habere potuisset, sed seipsum à societate Pauli ac totius Ecclesiæ excluſisset.

Ideo magnum pondus habent hæc uerba, diligentius considerata, cum inquit: **Si habes me socium, suscipe illum sicut me.** Nam si non susceperis illum, & me deprecantem pro illo, & retinueris iracundiam & uindictæ cupiditatem, non habebis me socium, & te ipsum excludes à societate, quæ nobis cum Deo patre & filio eius Domino nostro Iesu Christo, & cum tota Ecclesia est. Huius societatis tecte enim commonefacit, cum ait, Si habes me socium &c.

Vult autem eum non simpliciter ut seruum, sed ut se Paulum socium, consortem & fratrem susceptum, ut nihil iracundiæ & offensionis maneat reliquum in corde Philemonis aduersus seruum, ut sicut Philemon toto corde socium Paulum, ita & seruum reconciliatum diligat & complectatur. Traditur enim tortoribus,

ribus, qui non remiserit fratri suo de corde suo delictum ipsius, & non fuerit misertus conserui sui, nec illi debitum remiserit.

Matt. 18

Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa.

Confutatio de damno dato.

CONfutatio obiectionis de damno dato. Scelestus seruus multa mihi furto subtrahens aufugit longius in Italiam, ne comprehendi facile posset, & ibi omnia prodegit, & nimis magnum damnum dedit, cuius non ita facile obliuisci possum. Quare non ægre feres Paule, si ad petitionem tuam scelestum hominem, perfidum furem & fugitiuum, qui me tanto damno affecit, non suscepero, nihilo minus nos erimus & manebimus socij.

Ad hanc obiectionem respondet his uerbis, Si aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputato, quibus seipsum debitorem pro Onesimo constituit Paulus, addito etiam suo Chirographo, cum inquit:

Ego Paulus scripsi mea manu, ego reddam.

NAm cæteras Epistolas pleraſq; dictans aliena manu scripsit, Hanc uero ideo

propria

propria manu scribit, ut non modo sit deprecatoria, pro seruo recipiendo, sed & Chirographi loco, se Paulum soluturum pro seruo, quod hero suo aocucrat aut debebat, unde quoq; ingens amor erga seruum & pro eo sollicitudo Pauli apparet. Hæc uera sunt uiscera miserationum, quibus nos indutos uult esse Paulus Colos. 3.

Vt non dicam tibi, quod & teipsum mihi debes.

EGo hoc meo Chirographo & hac sponsione, constituo me debitorem tibi pro seruo, obligatione naturali & ciuili, sed si iure agendum est inter nos, tu iure diuino & obligatione diuina, non bona corporalia tantum, sed teipsum quoq; mihi debes, cuius debiti ideo te hoc loco commonefacio, ut si tu adeo duriter tuum debitum exigere, nec misi compensato damno, quod seruus dedit, illi reconciliari, neq; de tuo iure cedere uoles, scias & me ius in te, qui non modo fortunas tuas, sed & te ipsum mihi debes, habere iure diuino. Id autem tale est, & primum quo ad res & fortunas tuas.

Quia in Mosi lege scriptum est, Non obligabis os boni triturantis, quod propter nos scriptum est, quod sub spe debeat is, qui Deut. 25 1. Corin 9 1. Tim. 5

Quo modo Philemon sua bona debeat Paulo.

arat, arare, et qui triturat sub spe, spei suæ particeps esse debeat, Ego uero arans & triturans in te & domo tua conuertenda ad Christum, non sum factus particeps spei meæ, plantaui item uineam in domo tua, & de fructu eius non edi, paui te & gregem tuum salutifero pabulo uerbi Dei, & de lacte tuo & gregis tui non edi, militaui tibi & tuis, & nullum adhuc stipendium accepi, seminaui & communicaui tibi spiritualia mea, sed non tua carnalia messui, fui mercenarius tuus, Ergo debes mihi adhuc ex tuis bonis & facultatibus stipendium, uinum, lac, frumentum, mercedem, & reliqua carnalia pro spiritualibus, cœlestibus & æternis bonis, tibi per me communicatis. Vt enim communicatio æquabilis in genere humano seruari possit, necesse est seruari iuris naturalis regulam, Da aliquid & accipe aliquid, & ostendi gratitudinem benemeritis.

Rom. 15. 1. Cor 9 2. Cor. 9

Quo modo Philemon seipsum Paulo debeat.

Ita debitorem adhuc te habeo, quo ad res & fortunas tuas, & tamen nihil exigo, nihil postulo, sed quid dicam de bonis tuis, cum etiam te ipsum insuper & præter bona tua mihi iure diuino debeas. Id ius tale est:

Captiui in bello & pugna seruati, non occisi, sunt & manent victoris capientis serui, unde & dicti sunt, quod sint seruati non occisi in bello.

Ego

Ego Apostolus & miles, seu Princeps exercitus Domini nostri Iesu Christi, te cum tota domo tua seruum & captiuum peccati & mortis, & eius, qui mortis imperium habebat Diaboli, cepi, non occidi, non sum perire passus, sed mea uoce & ministerio Domino cooperante & uim suggerente & dante uoci suae uocem roboris seruaui. Psal. 68 Heb. 2 Psal. 68

Ergo te ipsum quoq; cum tota familia tua mihi debes, ut seruus & captiuus per me seruatus.

Nam cui quis accommodat se ipsum seruum ad obediendum, eius seruus est, cui obedit. Rom. 6

Tu cum domo tua conuersus, accommodasti te ipsum seruum ad obediendum mihi & Euangelio Christi. Quo modo Philemon sit seruus Pauli.

Ideo meus & Christi Domini seruus es, quibus debes obedientiam, & sic te ipsum mihi debes, & habebam ius in te ut seruum meum & Christi, imperandi tibi (ut supra inquit, & mox infra, Confidens in obedientia tua scripsi tibi) ut seruum Onesimum conuersum, filium meum, tuum iam fratrem reciperes, sed non utor, uerum cedo meo iure, quod in te habeo. Ideo et tu propter fidem in Dominum Iesum, & charitatem tuam in omnes sanctos meo exemplo, de tuo iure, quod in Onesimum habes, cedere debes.

Hæc in his breuissimis uerbis, Vt non dicam tibi, quod & te ipsum mihi debes, *considerandaproponit Paulus, quæ considerantem Philemonem, haud dubie, nisi truncus aut lapis fuisset, mouerunt & flexerunt ad clementiam & reconciliationem, in quibus omnibus argumentis prudentissimè inuentis & optime ordine dispositis, & breuissimis ac maxime significantibus & illustribus uerbis & figuris scriptis, uidemus admirandam Pauli sapientiam & eloquentiam. Sequitur Epilogus.*

Ita frater, ego te fruar in Domino, refice uiscera mea in Domino.

Conclusio Epistolæ.

HIc Epilogus seu conclusio Epistolæ, Pathetica est, in qua repetitur propositio seu petitio. Græca uox Nαὶ hic posita, quod & Hieronymus annotat, blandientis & obtestantis quasi aduerbium est, quod latine adeo commode & expresse reddi non potest. Q. d. Eia, age quæso mi frater, sinas impetrare me senem uinctum & afflictum Christi Iesu, quod te obsecro pro meo filio Onesimo, in uinculis meis genito, ut ostendas eandē charitatem

tatem erga me afflictum, ſenem & patrem tuum, quam erga omnes ſanctos exhibes, noli mœſto et afflicto addere mœrorem & afflictionem, ſi non, quod peto impetrauero, quin potius finas me idem gaudium habere, & eandem conſolationem in charitate tua, in hac cauſa Oneſimi, erga me oſtenſa, quam habui, ubi uiſcera ſanctorum per te ò frater refocillata ſunt, finas frater, ut ego te fruar in Domino, ut propter Dominum remittas culpam, & ego in Domino te & tua charitate ac clementia in ſeruum oſtenſa lætus fruar. Refice quæſo frater, mea uiſcera in Domino, ſicuti multorum ſanctorum uiſcera & corda requieuerunt & refecta ſunt per te in Domino, quibus refectis, reficientur et uiſcera mea Oneſimus, pro quo obſecraui, ut illum tanquam uiſcera mea ſuſciperes. Vides igitur mirabiles affectus in hac breui concluſione moueri à Paulo.

Confidens in obedientia tua ſcripſi tibi, ſciens, quoniam & ſuper id, quod dico, facies.

QVaſi dicat: Scripſi tibi, non ut imperium & Dominum in te habens, quod ſi mihi ſumerem, ſumerē iure, ut ſenex erga iuuenem, ut pater erga filium, quem per ſermo-

sermonem ueritatis genui, sed scripsi confidens in obedientia tua, quam mihi seni & patri, & Domino tuo te ex captiuitate peccati, mortis & diaboli seruanti diuino iure debes, ut seruus in bello seruatus, Domino seruatori suo obedientiam & gratitudinem, Imo & scipsum ac uitam, quam debet. Et cum ait:

Sciens, quoniam & super id quod dico, facies. *Addit hæc ideo, ne suam fiduciam & spem de Philemone conceptam fallat Philemon.*

Simul autem & para mihi hospitium: nam spero per orationes uestras donari me uobis

Comminatio de aduentu suo.

Videtur hæc adijcere hãc ob causam, iuxta Chrysostomi & Hieronymi sententiam, ut cum ad se uenturum audiat Paulum, eo facilius Onesimo Philemon reconcilietur, ut sit quasi comminatio quædam de suo aduentu, ne si ueniens inueniat seruum, pro quo tam diligenter & humiliter sit deprecatus, nondum susceptum & reconciliatum hero suo, durius tanquam inobedientem tractet Philemonem. Qualis ista comminatio est 2. Cor. 4. de suo aduentu, Perinde quasi non sim uenturus ad uos, inflati sunt quidam. Sed ueniam

breui

breui ad uos, si Dominus uoluerit, & cognoscam non sermonem istorum, qui inflati sunt, sed uirtutem. Non enim in sermone regnum est Dei, sed in uirtute. Quid uultis? cum uirga ueniam ad uos, an cum charitate, & Spiritu lenitatis? Item 2. Cor. 10. Nam Epistolæ quidem, inquit, graues sunt & robustæ, at præsentia corporis infirma & sermo contemptus. Hoc reputet, qui istiusmodi est, quod quales sumus sermone per Epistolas cum absumus, tales sumus & cum adsumus facto. Iudico autem esse seriam comminationem, neq; simulate hæc de suo aduentu scribere Paulū, cum addat:

Spero enim per orationes uestras donari uobis.

HÆc serio scribit Paulus, cum sciret multas Ecclesias, quas Christo collegerat, passim in Asia, Syria, Palestina, Macedonia, Græcia & Achaia ardenter pro se captiuo precari, & eas precationes non fore irritas, Ideo iudico Paulum his precibus liberatum ex uinculis primum, & reuersum ad Colossenses, & cæteras Ecclesias, ubi docuerat, ut prius eas uisitaret & confirmaret, quam ad alias longinquiores gentes docendi Euangelij causa iret. Sicuti 2. Tim. 4. inquit: In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me deseruerunt

Paulus liberatus ex uinculis precibus Ecclesiæ.

deſerucrunt, ne illis imputetur, ſed Dominus mihi affuit, & corroborauit me, ut per me prædicatio impleretur, & audirent omnes gentes, & liberatus fui ex ore leonis. De hac liberatione, quam futuram in Spiritu præuidit, exiſtimo eum hoc loco loqui.

Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Chriſto Ieſu.

Epaphras.

HVnc Epaphram fuiſſe Coloſſenſem, & ibidem uerbi miniſtrum, conſtat ex Epiſtola à Paulo ad Coloſſenſes ſcripta, & per Tichicum & Oneſimum ex Roma miſſa, *ubi ſic inquit Paulus*: Salutat uos Epaphras, qui ex uobis eſt, ſeruus Chriſti, ſemper anxie laborans pro uobis in precationibus, ut ſtetis perfecti, & impleti in omni uoluntate Dei. *Teſtimonium enim illi perhibeo, quo habeat multum ſtudij pro uobis, & his qui ſunt Laodiceæ.*

Marcus.

Marcus.

HVnc Marcum conſobrinum Barnabæ fuiſſe, patet ex eadem Epiſtola ad Coloſſenſes,

ſenſes, ubi inquit: Salutat uos Marcus conſobrinus Barnabæ. Fuit autem Iohannes uocatus, cognomento Marcus, comes Pauli et Barnabe in propagatione Euangelij, Act. 15. Hunc refert Hieronymus, Petri fuiſſe diſcipulum & interpretem, & ex ore Petri ſuum Euangelium ſcripſiſſe, & in Ægypto in urbe Alexandrina primũ docuiſſe, mortuum autem eſſe octauo Neronis anno, & ibidem ſepultum.

Ariſtarchus.

ARiſtarchus Macedo Theſſalonicenſis fuit, qui Paulum captiuum cum Luca ex Cæſarea Romam in eadem nauicula uectus eſt Act. 27. Vnde & fortaſsis in Coloſſenſium Epiſtola concaptiuum ſuum uocauit hic Epaphram. Puto ſimpliciter concaptiuos appellari, quod ſæpe cum Paulo in propagatione Euangelij, uincula paſſi, & tamen ij beneficio Dei iterum liberati ſint. Sicut 2. Cor. 11. inquit: In carceribus abundantius, in mortibus frequenter &c. Euangelium enim ſemper crucis eſt. Ariſtarchus.

Demas.

IVdico & hunc fuiſſe Macedonem & Theſſalonicenſem, ſed non ita fuiſſe firmum & conſtantem in confeſſione Euangelij, ut Demas.

Ariſtar-

Aristarchum ipsius conterraneum, significat Paulus ipse cum 2. Tim. 4. inquit: Demas me reliquit, amplexus præsens seculum, & profectus est Thessalonicum, offensus uinculis Pauli et cæterorum suorum commilitonum, deseruit, & abiecit hanc duram militiam Christi, & sermonem crucis, rursus reuertens in patriam, ut ibi in ocio, sine cruce & persecutione, suauiter uiueret.

Est igitur postrema Epistola à Paulo scripta secunda ad Timotheum. Nam hoc tempore quo hæc ad Philemonem, & deinde alia ad Colossenses scripta est, Demas adhuc fuit cum Paulo uincto. De Luca notissimo nihil refert hic dicere.

Gratia Domini nostri Iesu Christi cum Spiritu uestro.

CConcludit suo more Epistolam, precando ipsis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quæ & nobis adsit.

Breuis est Epistola, sed Margarita preciosa, ideo magnificienda & in pectoris scrinio custodienda.

FINIS.